

7112 | A
7113
7114

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

Received from Dr Turk

on permanent deposit

IOANNIS FIENI
Andouerpiani

DE FLATIBVS
HVMANVM CORPVS
moleſtantibus,

COMMENTARIVS NOVVS
AC SINGVLARIS.

In quo Flatuum natura, cauſæ & ſymptomata deſcribuntur, eorumque remedia facili & expedita methodo indicantur.



IN OFFICINA SANCTANDREANA,
CIƆ IƆ LXXXIX.

ILLVSTRISSIMO ET GE-NEROSISSIMO EQVITI, DOMINO *Carolo Rymio, Domino de Bellē, Schuervelt & Eeckenbeke, regio in conſilio ſecretiore Conſiliario, & Cæſareo quondam apud Turcarum imperatorem oratori vigilantiſ. Ioannes Fienus S. D. P.*

CVm apud omnes in confeſſo ſit, Clariſſime vir; humano generi nihil deſiderabilius, nihil optatius, nihil denique præſtantius diuinitus dari potuiſſe præter ſanitatem, & vitæ huius incolumitatem: nō potui non mirari tantum theſaurum, tamque incomparabile bonum apud pleroſque tam turpiter vileſcere & negligi: cuius quidem dignitatem ſi penitius introſpicerent, cū Amphione Sicyonio poeta exclamarēt:

O Beata Sanitas, te præſente amœnum
Gratiis ver flo[r]et; abſque te nemo beatus.

Hęc enim ſapientiæ, ſciētiarum, artiumque omnium piiſſima fautrix: Hæc vitæ huius tam turbulentæ vnicum ſolatiū: Hęc illa eſt, cuius præſentia actiones humanæ vigent, vis corporis, forma, diuitiæ, & quæcunque apud homines in pretio haberi ſolita, valent: qua collapſa, cauſarumque hoſtilium vi & malignitate expugnata, concidūt, quæ prius valebant omnia, & morbus, ad mortem certiſſima via, ſuccedit. Morbum expellere quis poteſt, niſi euitatis & excluſis cauſis ipſum generantibus & fouentibus? hæ ſane nec

euitari poſſunt, nec excludi antequã cognoſcantur. Potiſſima igitur curandorum morborum ratio in cauſarum cognitione conſiſtit. Porro diligenti harum habita animaduerſione, perſpicuũ euadet, homine, in hoc terrarum orbe, nihil miſerabilius, nihil, ſi diuiniorem eius partem excipias, magis caducum, iniuriisque rerum omnium obnoxiũ eſſe. Quid enim eſt in rerũ natura a quo homo non impetitur, laceratur, conuellitur? Cęlum enim & ſidera ſuis cõuerſionibus & malignis aſpectibus, peſtes, ardores, extrema frigora, incommodaque varia hominibus inferunt. Elemẽta etiam multo maioribus malis noxia percipiũtur. Aer enim grãdine, pluuia, procellis, nebulis, tonitru, fulmine: Terra motu terribili, ſuisque ex hiatibus, voraginibus & ſpeluncis auram peſtilentem expirans: Aquarum coluuies, inundationes, lacus, ſtagna, paludes, ſuis putridis, euaporationibus: Ignis tandem incendiis & conflagrationibus, quam infinitis modis humano generi pernicioſa fuere? porro animalium omne genus vnanimi conſenſu videtur hominis internecionẽ machinari: imo nec herbæ, frutices, arbores, eorumque fructus, a peruerſo illo nocendi genio immunes reperiuntur. Ceterum hæc omnia, tanquam non ſatis malorum in humanum genus conferrent: Homo ipſe furta, rixas, cædes, bella, aliaque innumera committens fa

cinora homini lupus ſit. Atqui omnium crudeliſſimum, iniquiſſimum & teterrimū eſt, quod homo in propriam naturā tā iniquus ſit, tam ſæuiat, vt intempeſtiuis libidinibus, diurnis, nocturnisque cōmeſſationibus corpuſculum hoc per ſe tam inualidum & imbecille adeo concutit, vt præceps in omne genus morborū ruat, diuinam ſui partem animam contaminet, & iram dei in ſe prouocet. Recte itaque dicebat ille, Hominis vitā militā eſſe ſuper terram. Hinc eſt quod viri ſapientes tam infinitis malis occurſuri, nihil magis in votis habuere, quam artem quampiā poſſe inuenire, qua ſe, ſuosque muniant, ab iniuriis memoratorum vindicent; & ab hoſte morbo obſeſſos liberent: ſicque arti huic inter reliquas nobiliſſimæ ab Apolline deo data ſunt principia auſpicata, quæ deinceps ab Æſculapio celebrari cœpta, a Machaone & Podaleirio tantopere exculta ſunt, vt in ſummo pretio ab omnib. tū potiſſimum ab Homero haberetur, cum diceret:

Eſt medicus vnus vir multis anteferendus
Tela excindendique & lenia pharmaca gnarus
Plagæ inſpergendi.

Aſclepiadei deinde (a patre Æſculapio ſic appellantur) filiis ſuis, iiq; nepotibus, artem ſuā, non ſcriptura, ſed ordine quodā in mēte filiorum ad Hippocratis vſque tēpora tradiderunt. Hippocrates autē diuinus (ad Herculem enim & Æſculapium generis ſui ori-

ginem referebat (tantum in arte profecit medica, vt ob artis præclara opera, ſplendidos honores apud Coos ſuæ patriæ homines conſequutus ſit, nec minores apud Theſſalos & Athenienſes, qui eũ Eleuſiniis ſacris ſecundum ab Hercule publice initiarunt. Hic omnium primus artem ſuam ſcriptis mandauit, monumentaque ſua nobis reliquit: quæ tanquam a ſpinis & ſentibus doctiſſimus Galenus ita repurgauit, in eumque digeſſit ordinem & methodum, vt artem omnibus fere numeris abſolutã, poſteris tradidiſſe merito quis affirmare poſſit. Ceterũ, cum nihil ſit in rerum natura tam excultum, tam omnib. partibus perfectum, quod vlteriorem culturam non admittat, cœpere poſteri, noſtri potiſſimum temporis excellentes viri, pro ſuo quique ingenio certatim, quas medicinæ partes nõ ſatis pro ſua dignitate habitas viderent, recudere, recoquere, meliori ordine digerere, quæ ſuperflua erãt reſcindere, deſiderata ſupplere, tãtaque induſtria & animi propenſione omnia retractare vt vetere exuuio reiecto, noua facies arti aſſumpta eſſe videatur: quippe nulla medicinæ pars quamtumuis difficilis, abſtruſa, & recondita latere poteſt, quæ modo in lucẽ non prodeat. Cælũ equidem mente conſcendere, ſidera, eorumque motus obſeruare, Elementorum naturas perſcrutari, Terræ penetralia rimari, herbarum fruticum-

que vires ſummis laboribus & vigiliis inue-
ſtigare, animaliũ õ genus cognoſcere,imo
propria viſcera crudeli ſpectaculo dilacera-
re n õ detrectãt viri præclari,quo ſacra qua-
dam Aegide aduerſus tot cauſarũ maligna-
rum procellas tecti, ab earum ſe iniquitate
vindicarent, & incolumes quantum fieri po
teſt conſeruarent. Hæc ea eſt ratio illuſtriſſi-
me ſimul ac doctiſſime vir, quæ me adegit, vt
operas meas, & horas bonas in communem
vſum collocarem: quo factum eſt, vt id tem
poris quod ab occupationibus meis multis
& variis relictum fuit liberum, authorum aſ-
ſiduis lectionibus impenderem, multaque
vtilia adnotarem, ex quibus opuſculum præ-
ſens De flatibus humanum corpus diuexã-
tibus excerptum, amicorum quorundam ro
gatu paſſus ſum ſub nominis tui auſpicio in
lucem prodire. Excipe igitur vir illuſtriſſime
animo benigno ingenioli mei primam fœ-
turam, quam ſartam tectam contra inuido-
rum calumnias tuo patrocinio defendas
obſecro. Quippe eo lubentius & maiori
cum fiducia hanc tuo conſecraui nomini,
quod animi tui erga me promptitudinem &
beneuolentiam multoties cum tuas, tum fa-
miliæ infirmitates varias & graues iuuarem,
expertus ſum: tum maxime quod multiiugã
tuam eruditionem, feruentem ſapientiæ a-
morem, prudentiam & in rebus gerendis
dexteritatem tam ſemper admiratus fui, vt

id quod maxime: nec mihi dumtaxat, verum omnibus ingenuis, & cum primis principibus viris animi tui dotes & egregia facta tantæ admirationi fuere, vt ipſe Carolus. v. Cæſar te in oratorem ſuum ad Turcarum imperatorem ſeligeret, & Cōſtantinopoli per quinquennium integrum detineret, omniaque negotia ſua & rerum molimina ita concrederet, vt omnia bona, fauſta ac felicia a te expectarēt omnes. nec fefellit opinio, quippe tanti momenti munia tibi commiſſa, tam felici conſilio & ſucceſſu, tantaque ſapientia, fide, & ſedulitate confecta tradidiſti, vt illico te poſt reditum in patriam, conſilii ſecretioris conſiliarium conuocauerit; Philippus quoque filius Hiſpaniarum rex in hoc vſque tempus continuauerit. quod ſane ſummam indolis tuæ innocētiam & felicitatem demonſtrant: argumento eſt, te Deo optimo Max. ſemper curæ fuiſſe: cui te cū tota familia commendo. Antuerpiæ ex ædibus noſtris, Calendis Februarij, 1582.

Tuæ illuſt. celſitudinis cliens

Ioannes Fienus
Antuerpianus Medicus.

IOANNIS FIENI ANdouerpiani Medici, in librum ſuum de Flatib. Præfatio.

CVM tam diuerſa ſint mortalium ingenia, nec voto viuatur vno: accidit quẽque ſuæ naturæ ductum, & quo animi feruor trahit lubẽtem ſubſequi. Hos quidem ad Muſicam vel Mathematicam: illos vero ad honeſtatem morum, vitamq; religioſam propenſiores eſſe. Atqui, quos natura, & ventris obedientia finxit, præcipites in luxuriam feruntur, pluſque operæ in bene curanda cute, pecuniiſque per fas nefasque accumulandis, quo nihil æſtuanti luxuriæ deſit, quam in rebus honeſte gerundis inſumunt. Hoc genus fucorum, quemadmodum cum hominibus præter corpus nihil fere quicquam commune habet: ſic cum ſonitu eius tranſit memoria. Ceterũ quorum animus melius habitat, & diuina ſui parte rite colenda penſitant, nullum tempus meditationibus liberum tranſmittunt, quo perſpectiora quæuis & faciliora tradant nepotib. nomenq; ſuum æternitati conſecrẽt. Horum cum in ſingulis doctrinis noſtro hoc æuo præclariſſima extent ingenia, tum vel maxime in arte medica, in qua a ſentibus & ſpinis repurganda, & omnis generis ſupelle-

ctili collocupletanda tātopere multi deſudarunt, vt nulla anteacta ætas, quamtumuis induſtria, tātos ei paucis annis auctus addiderit. Quippe nulla vnquam ſcientia tam eſt omnibus numeris abſoluta, quin vel noua quædam a veteribus intacta accreſcant, vel non ſatis elucubrata ad incudem reuocentur, perpolianturque. Humana enim induſtria meditando alitur & indefeſſo caleſcit impetu. Equidem generoſus animus quid priuato confecerit ſtudio censuræ doctorum ſubiiciēs maiore in poſterum ſollicitudine ſua diſponit ſtudia. Si enim quæ fecit a viris apprime doctis approbentur, deus bone quam pungens ſtimulus ſponte currenti additur! Sin autem minus feliciter nata ſterileſcant, vigoriſque expertia ab iiſdem coryphæis vilipendantur: iam nouis calcaribus flagellisque recuperandi nominis & famæ impulſus, vi quadam, & vno (quod aiunt) ſpiritu in defeſſe ad eruditionis culmen contendet, vt quod primo nixu non attigit, ſecundo adimpleat. Quomodocunque itaque res agitur, ingenuus generoſusque (vt dixi) animus deperdit nihil, lucrum autem facit maximum. Quæ cauſa eſt vt ego, ne ſilentio vitam tranſigerem, aut mihi ſoli natus viderer, eam medicinæ par-

tem, quæ de Flatibus agit, magnumque mortalibus momentum adfert, ſumpſerim elucidandam: eo quidem magis, quod nullus præſertim huius plagæ Septentrionalis incolis morbus aut infeſtior eſt, aut frequentior, minusque a medicis etiam mediocriter doctis cognitus, quam qui e flatib. ſuſcitatur. Quin etiam nulla medicinæ pars eſt, quæ a ſcriptorib. minus exculta, magisq̃ neglecta iaceat: cum neminem hactenus videre contigerit, qui de flatibus tractarit accurate, præter vnum Hippocratem. Is tamen ita ſcripſit vt paruam vtilitatem inde haurire queant, qui cum ijs miſere colluctantur. Mirabile fateor ingenij acumen venerandi ſenis in demonſtrando cuiuſuis morbi cauſam ſpiritum eſſe: verum argumentis vtitur longe quæſitis, talibusque, quæ potius authoris ſui ingeniũ, quã morborũ inde procreatorum aut cognitionẽ aut curationẽ doceant: quodque omniũ maximum eſt, flatuũ in corpore a cibo, potu aut pituitoſis humoribus generationem, præcipuam partem admodum perfunctorie percurrit: totus autem in aeris ambientis per inſpirationem hauſti vi & efficacia declaranda verſatur. Nec mirum. Sæculum enim ipſius tempeſtiua parſimonia celebre, nullisq̃

luxuriæ fœditatibus conſpurcatum erat: tum etiam regio quam incolebat, & præcipue patria ipſius Cous inſula temperata, duros hoſce ex Flatibus cruciatus minime gignebat. Noſtra vero hac ætate ob ingluuiem & in cibo potuque intemperantiam, paucos inuenias, qui huius tyrannidi aliquando nō ſint ſubiecti. His itaq; flatulento ſpiritu exagitatis hominib. vt pro noſtro virili ſuccurramus, neue deinceps imprudenter ex peruerſa victus ratione eoſdem colligant, prouideamus: operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi relicto Hippocrate, qui de ijs docte magis quam vtiliter ſcripſit, quæ ego habui de eorum tractatione ſana & vtilia præcepta in communem vſum conferam.

IOAN.

IOANNIS FIENI DE FLATIBVS commentarius.

Quod flatus Spiritus ſit, & de diuiſione Spirituũ.

Cap. I.

NEmini dubium eſſe exiſtimo, eã ſubſtantiam, ſiue aer, ventus, aut flatus, quæ eximiis viribus prædita cum ſit, oculorum tamen effugit obtutum; ſpiritus nomine inſigniri. Hippocrates enim cum diuerſis in locis, tum vel maxime in lib. de Flatibus, hos ſpiritus nomine dignatur. Et Gal. ſcribit in hæc verba: Quoniam & de flatibus deinceps mentionem fecit, ſunt quoq. & hi in ſpirituum genere. Dictum eſt autem in prognoſt. comment. & in lib. de ſpirandi difficultate, de ſpirituum in reſpiratione differentiis, veluti & de flatibus in prognoſtico. Ructus quoq; in ſpirituum genere exiſtunt: atque ob id quodammodo communicant cum ſpiritibus reſpirationis: quatenus autem in Flatuoſorum ſpirituum genere ſunt: eatenus cum flatibus communi-

Epid. 1. commẽtario tertio.

cant : quare & ipſi flatuoſum ventrē procreari ſpiritum oſtendunt. Cū itaq. ex his Galeni verbis ſatis conſtet flatum eſſe ſpiritum:ſpirituū autem multam eſſe differentiam:non alienum ab inſtituto fore arbitratus ſum , eorū naturam paulo altius perſcrutari,& a sūmis generibus paulatim ad eam ſpeciē quam declarandā propoſui,diuidendo deſcendere. Spiritus vel in corpore noſtro,vel extra corpus conſiſtūt. Qui extra ſunt poſiti in triplici habentur differentia. Vt enim viuentis Dei,& vniuerſæ naturæ , ſic & animæ ſuus eſt Spiritus.

Spiritus extra Corpus nostrum triplices. 1.

Dei Spiritus occultā dei maieſtatē poteſtatēq; præferens,per omnia ſparſus permeat,vbiq; pręſens omnia complectitur. Hic animos habet in poteſtate & eos quocunque vult,adducere poteſt.

2. Spiritus naturæ is eſt,quem omnes Philoſophi iuxta ac poetæ celebrant, quem Plato animum mundi:Galenus mentē huc ex ſuperioribus deductam appellauit. Hunc Ariſtoteles hac definitione planius expreſſit: Spiritus eſt ſubſtantia animata & genitalis in ſtirpibus ac in animantibus exiſtens , perque

Lib. de mundo ad Alexan.

que omnia pertinens. Hic longe lateq; diffuſus omnia continet, omnia lætificat, vitalem mundi animam ipſamque naturam ſecum afferens, & quæcunq; ſubierit vitalia faciens. Tertio vero peculiaris rei cuiuſque mortalis & concretæ ſpiritus illius formę ſubſternitur, eamque denſo concretoque corpori nectit, mediam inter vtrunque conditionem ſortitus, iungitque diſparia res vtriq; affinis ac familiaris, atq; hic profecto ab altero, qui vniuerſitatis atq; totius naturę eſt regitur atq; cõſeruat. His trib. ſpirituũ differẽtiis iũgit Ariſt. quartã. A ſicca (inquit) exhalatione ventus oriri ſolet, cum a frigore ita vt fluat, illa truditur, vt nihil aliud ventus ſit niſi aer multus fluctuãs & coactus, qui etiã ſpiritus appellatur. Aer enim (vt ante diximus) eximiis viribus præditus, cum oculis non ſit conſpicuus ſolaq. conſideratione cognoſcatur, & effectu fiat manifeſtus, nemini dubium eſſe debet, quin & ſpiritus nomine inſigniri debeat, præſertim dicente Hippocrate, Omne quod inter cælum & terram eſt Spiritu repletũ eſſe. Porro qui in cor-

3. *lib. de mund.* 4. *Ventus* *lib. de Flatibus.*

Spiritus Corporis nostri. pore ſunt ſpiritus totidem membris cō-
1. plectuntur. Aut enim naturalis eſt, aut
2.3. vitalis, aut animalis: qui tres vno com-
prehenſi nomine, inſiti ſpiritus dicun-
4. tur. His aptiſſime (vt microcoſmi cum
vniuerſi machina ſit perpetuus conſen-
ſus & ſimilitudo) flatus ſeu ſpiritus fla-
Naturales. tuoſus iungitur. Naturalis ſpiritus fit,
cum alimenti purior magiſque aerea
pars cōcoctione in eam tranſit ſangui-
nis tenuiorem ſubſtantiam, quæ vapo-
ris ſpeciem quādam exhibet. Hic tum
a ſpiritu iecori ingenito vim accipiens,
per venam cauam vna cū reliquo ſan-
guine in cordis venticulos tranſfundi-
Vitales tur. illic denuo caloris vi accuratius
elaboratus in aeris prope ſpeciem mu-
tatur, fitque ſpiritus vitalis, qui in to-
tum corpus per arterias diffuſus vitam
elargitur. huius portio per ceruicis ar-
terias in plexum retiformem, indeque
in cerebri ventriculos delata, hauſto
per nares & elaborato aere incremen-
tū recipit, & vi ſpiritus qui cerebro in-
genitus eſt, conuerſione quadā fit ſpiri-
Animalis tus animalis. hic vniuerſo corpori par-
tibuſque ſingulis impertitus, ſenſum
& mo

& motum confert. ab his modo dictis ſpirituum ſpeciebus multum diſtat ille, de quo nobis ſermo futurus eſt, eorumque qui in corporibus noſtris verſantur, quartum locum obtinet, eiuſdem plane generis & naturæ cum vento; vocaturque non ſolum ſpiritus flatulentus, ſed & Flatus. eiuſmodi ſpiritus craſſus ac vaporoſus eſt, neque æthereus ſubſtantia, neque tenuis vt illi. Naturam vero eius intelliges, ſi qualis ſit in auſtrina, qualiſque in aquilonia conſtitutione ſit ambiens aer, in memoriam reuocaris. Si quidem auſtrino flatulentus, aquilonio vero naturalis in nobis ſpiritus eſt ſimilis. Atqui inſitis ſpiritibus, vtpote qui ab aliis tractantur ſat commode, relictis, ad flatuoſum ordine & methodo explicandum nos accingamus. flatulentus.

De Analogia ſeu proportione Flatus cum Vento. Cap. 2.

CVm primis conſiderandũ eſt duo potiſſimum eſſe, quæ corpora noſtra præ ceteris ad inflationes, vt ad reliquas omnes morboſas affectiones præparant, nimirum victus ratio,

Victus ratio.

&regio. Alimentū initio diſſimile, tādē nobis ſimile redditur, & in ſubſtantiā corporis noſtri mutatur. Cuius itaque naturæ id fuerit, eiuſdē etiā longa cōſuetudine corpus euadet. Omni nāque alimēto, quātūuis feliciter in ventricul⁹ cōcocto, genuina perpetuo, inſitaq; natura mordicus retinetur. quare lactuca aliaq; huiuſmodi frigida, tametſi coctione vincātur, ſuperēturq;, vētriculū tamē & corpus reliquū refrigerāt, ex iiſq; sāguis profertur frigidior. Sic vinū aut alliū, calidum: piſces, caſeus, & carnes ſalitę, craſſum efficiūt sāguinē. Ex quib. perſpicuū eſt nō ſpiritus dūtaxat & humores quib. conſeruamur, ſed totius corporis cōſtitutionē mutari. Victus itaq; ratio refrigerās, quia natiuū calorē opprimit, ad flatuū generationē corpus præparat. Exuperātia inſuper & copia etiā opptimi cibi & potus, quæ naturæ grauis ſit, neque perfecte coqui, neq; in bonū sāguinē verti pōt, ſed multas cruditates accumulat. hinc obſtructiones & putredines generātur: a quib. natiuus calor perinde atq; a multo oleo lucernæ flāma ſtrāgulatur. Hæc ſane cruditas & humorū copia, cū apud

quoſuis,tũvel maxime apud ſeptẽtrio
nalis plagæ incolas colligi aſſolet.hi e-
nim tãquã nimis vulgare ſit ferro ho-
ſtẽ cędere,laqueo ſuffocare,aut aperto
Marte alterũ in alterius necẽ ruere,fu-
cata quadã ſimulatione neceſſitudinis
mutuos ſeſe cõficiunt: poculis quippe
certãt,ingẽtia vaſa exiccãt,dies nocteſ
que cõmeſſando trãſigũt, & heſternæ
crapulæ nouas adiũgũt ebrietates, nec
prius ingurgitãdi finẽ faciũt,quã tãto-
pere inſatiabile abdomẽ explerunt, vt
abſorpta reddant vomitu, aut in cre-
pandi periculũ veniãt:huius dicti imme
mores, plures gula quã gladio periiſſe. *Hippocrates.*
Vbi cib. præter naturã plus ingeſtus eſt,
hic morbũ facit. Non itaq; mirũ ſi hoc
genus helluonũ excremẽtorũ flatuũq;
quæ præ copia non facile excludantur,
magnum faciat prouẽtum. Regiones
etiã magnũ, vt diximus, momẽtũ ad-
ferunt. Calida enim & æſtuoſa, velut
ęſtas,ſpiritus inflãmat,humores extor-
ret, & bilẽ auget, ex quib. calidiſſimi &
acutiſſ.morbi ſuſcitãtur.Frigida aũt &
humida,qualis eſt quæ ad Septẽtrionẽ
vergit,vt hyẽs egelida,ſpirit' cõſopit,po

ros occludit, corpus multo humore ſu peruacaneo onerat, & natiuũ calorem opprimit. Inde debilitata coctione cruditates, ciborum in ventriculo potuumque fluctuationes, deſtillationes, morbi chronici, calculi, lumbrici, flatus, aliaq; eius generis innumera fiũt. Quę quidem omnia haud diſſimilem generationis originem (vt obiter hoc ingeramus) ſortiuntur, ab iis, quæ in magno mundo naſcuntur. vnde non minus eleganter quam ſapienter Ariſtot. hominem τὸν Μικρόκοσμον appellauit, quod nimirum ſimilitudinem & analogiam cum magno mundo habeat. Quemadmodum enim in magno mundo quatuor ſunt elementa, Ignis, Aer, Aqua, Terra; ſic eiuſdem generis & naturæ ſunt in paruo. vt in quolibet denique illorum variæ gignuntur ſubſtantiæ, in terra lapides & frutices, in aqua varij generis animantia, in aere tonitrua, fulgura & pluuiæ: ſic in homine oſſa & calculi pro ſaxis & lapidibus, lumbrici, aſcarides, pediculiq; pro animantibus, deſtillationes pro pluuia, ac flatus in corpore noſtro genitus, ven

tum

tum exprimit. Vtque paucis dicam, vera totius vniuerſi imago in homine relucet; nec mirum. Deus enim opt. maximus cum in prima rerum creatione ſex dierum ſpatio totũ vniuerſum admirabili artificio fabricaſſet, cunctaque ſuo collocaſſet ordine, nec quicquam præterea ad decorem tanti operis deſiderari poſſet; deerat ſolus homo tam excellẽtis fabricę abſolutiſſima quædam tãquam ἀνακεφαλαίωσις, quæ diuinam illam ſapientiam & potentiam dignis encomiis extolleret, & magnificum opus miraretur. Porro in cœlo nihil tam ſublime eſt, neq; in terra tam abditum quicquam, cuius viua imago & exemplar diligenter rimãti, in homine non cognoſcatur. Nã & paruo mũdo ſuus Deus eſt animus. Sũt & ſpiritus angelici, intellectus & volun tas, ipſiq; ſua habitacula. ſunt etiã calidum, frigidum, humidum, ſiccum exterioribus correſpondentia elementa. in calido apparent coruſcationes, & varíæ ignitæ imagines, phrenitis, inflammatio, eriſipelas, cauſus. In humido deſtillationes, & ex iis indurati to-

Ignea
Aqua. Aerea

tophi pluuiam & grandinem repręſen-
Aqvea tantes: fluxus deniq; & refluxus humorum in ſuis alueis, venis & arteriis conſpiciuntur. Ceterum in terreo elemẽto huius parui mundi omnium planiſſime apparet cum magno mundo ſimilitudo. Quod enim in terra ſunt lapides & ſaxa, hoc in corpore noſtro ſunt oſſa: quinimo & ipſa ſaxa Ouidio magnæ parentis oſſa dicuntur:

Terrea

Metamorphoſ. 1.

Oſſaque poſt tergum magnæ iactate parentis.
Magna parens terra eſt. lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

Quod in terra plantæ, frutices, & arbores, hoc in homine pili ſunt. Porro (inquit Gal.) generatio pilorum eadẽ eſt quę plantarum. Nã quemadmodũ ex iſtis quædam arte & arbitrio agricolarum, quædã iuxta naturales cauſas proueniunt: eodẽ modo & in animaliũ corporibus aruo quidem alicui triticum aut hordeum, aut aliquod cerealium ſeminum in ſe inſita habenti, caput aſſimilatur. aliis vero herbis, quæ in aridioribus creſcunt regionibus, reliqui totius corporis pili ſimilem generationem ſortiuntur. Quid quæſo de terræ motu dicam quãdo contingit

intra terræ viſcera plurimas generari Terræmotus
exhalationes per virtutem Solis & a-
ſtrorum, ex materia ipſius terræ, &
humiditate terræ immerſa, ſi egredi
nequeant ob eam nimis compactam,
aut ventorum groſſitiem, neceſſe eſt
terræ motũ quadam in parte fieri. Sic
videmus ex ſpiritibus flatuoſis corpo-
ris noſtri cauitatibus incluſis, exitum-
que quærentibus, magnos ſubinde tre-
mores fieri; quam rem pulchre Ioãnes
Langius depingit. Certe, ait, ſi magna
paruis conferre fas eſt, quẽadmodũ vẽ-
tus viſceribus terræ incluſus, terram e-
rupturus tremulo conquaſſat motu:
ſic aer flatulentus muſculorum alia-
rũq; corporis partiũ quæ diſtẽdi poſsũt
velamine circũſeptus, eas palmo cõcu
tit, donec per diſtẽtũ velamẽ erupit. hu
ius causã cũ plebs ignoret, illic ſubeſſe
animã arbitratur. Quippe quãdiu ſine
iniuria effluit, & patẽtib. viis innoxius
diſcedit: nullus eſt tremor corpori; ſin Tremor
autẽ diſcedẽdi facultas obturatis mea-
tib. erepta eſt, nec fugæ locũ inueniat:
perluſtrãdo omnia, anguſtias locorũ di
mouet & clauſtra ſua conatur effringe

re.ſic euenit vt ſpiritu luctãte & egreſ-
ſum quærente corpus concutiatur.
Datur & alia huius tremoris ratio.
Corporis namque cauitatibus inclu-
ſus flatulentus ſpiritus, viſcerum calore
& inſito motu euerberatus, curſu pa-
rum libero incaleſcit tenuiorque red-
ditur. Hic qua data porta in vniuerſum
corpus, parteſque principes, ſeſe inſi-
nuat, & celeri motu in loca ſenſibilia ir-
ruens, non modo ſua qualitate ea affi-
cit, ſed & ſubſtantia tenui ſtimulat,
diſtendit, diuellit, vulneratque eas par-
tes omnes quibus obuius fuerit. omnis
enim cauſa mordax motaque, ſiue fri-
gida ſiue calida, animanti horrorem &
rigorem inducit. Tertio vero, hic ſpiri-
tus cum vltro citroque permeans, fa-
cultati expultrici moleſtus fit, tum i-
pſas partes contriſtat, quæ ita exagita-
tæ, feſtinantes ad expellendum noxiũ,
contrahunt ac cõſtringunt ſeſe, & con
cuſſione quaſſationeq; vexãtur. Qua-
re Flatus qui ſimilem cum vento con-
ditionem ſortitus eſt, ſimiles etiã pro-
ducit effectus. Verum nunc tempe-
ſtiuum eſt quid flatus ſit explicare.

Quid

Quid Flatus ſit. Cap. 3.

NVllos hactenus videre contigit qui Flatus deſcriptionem tradāt, aut ex quorum monumentis rectius ea colligi poterat quam ex Galeno. Flatus (inquit.) eſt vapor ab humore, pituitoſo cibo aut potu, ab imbecillo calore excitatus. Verum hæc definitio cum conuertibilis (vt dialectice loquar) non ſit; perfecta minime eſſe poteſt. Varii namque vapores ex cibo & potu in ventriculo contentis ad cerebrum exhalant, vt in ebriis accidit. ad oculos etiam, vt in ſuffuſione per conſenſum ventriculi, qui flatus nec ſunt nec dicūtur. E cōtrario autem flatuoſus ille ſpiritus ex humore melancholico in hypochondriis enatus, vere flatus eſt, nulla tamen definitionis parte comprehenſus. Limatius itaque velim Flatum hoc modo deſcribi: Flatus eſt multitudo quædam halituoſi ſpiritus ex cibo & potu, humore pituitoſo aut melancholico ab imbecillo calore in animalis corpore excitus. Dico, multitudo, quod leuis halitus aut vapor, a quibus nunquam corpus etiam opti-

Lib. 3. de Sympt. cauſis.

me conſtitutum immune eſt, nullo modo flatus dicatur, aut vllum inflationis ſenſum præbeat. Cui ſententiæ Gal. ſubſcribit dicẽs: Ventoſos ab Hippocrate dici putandum eſt, qui in ventre colligunt copiam Flatuoſi ſpiritus, qui vel per ructus vel bombos ſeu crepitus, inferne erumpens excernitur, vel remanet, & continentes partes diſtendit. Ventus, quinetiam teſte Ariſt. nihil aliud eſt, niſi aer multus fluctuans & coactus. Quare autem hic vaporis loco halituoſum ſpiritũ ſubſtituã, ex eodem Ariſt. iisque, quæ deinceps dicẽtur, diſcendum arbitror, cum nihil certi hac de re ex Gale. ſcriptis haurire quis valeat, vtpote qui hæc, halitum, ſpiritum halituoſum & vaporẽ per omnia ſua opera indiſtincte cõfundat. Halituoſũ enim Spiritum ex ſuccis ſenſim excalfactis gigni docet Therapeut. 14. Vaporem eſſe humorem extenuatum, de Sympt. cauſ. Lib. 1. & de ſimpl. med. facult. lib. 1. Halitum demum medium quid eſſe inter leuiſſimum tenuiſſimũque ſpiritum & ſanguinem, qui plane abſolutus attenuatuſq; eſt, de naturali-

Lib. 5. in Aph. 72.

bus facult. lib. 3. Quæ quidem omnia coincidunt confunduntur que, & veluti Synonyma, vnam eandemque rem ſignificant. quare phiſicis qui accuratius & ſubtilius talia perſcrutantur, diſſerenda relinquo. Porro nec definitioni obeſt quod Gal. dicit, Auctiorem calorem ſi incidat in craſſam & glutinoſam pituitam, in craſſum flatum eam reſoluere. Quandoquidem calor tametſi in ſe validus ſit, comparatione tamen facta ad humoris quantitatem & ęqualitatem, merito imbecillis exiſtimabitur, vt pote qui eleuare ſpiritũ, minime tamen reſoluere poſſit. Eadem habenda ratio in iis eſt, qui immoderato potu vel robuſtiſſimum calorem opprimunt. Atqui quo in loco flatus generetur deinceps dicendum erit.

De loco generationis Flatuum. Caput 4.

PRæcedente cap. diximus ex Hipp. & Gal. ſententia. ventoſos appellari eos, qui in ventre colligunt copiam flatuoſi ſpiritus, qui vel per ructus, vel per efflatus inferne erumpens excernitur vel remanet, & continentes partes Ventoſi qui.

diſtēdit. Ex quib. verbis facile colligere eſt, ventriculū & ei annexa inteſtina locum & quaſi mineram generationis eorum eſſe: nam per ructum non poterant, nec inferne erumpere, niſi in ventriculo aut inteſtinis ortum ſumpſiſſent. Ventus quoque in magna hac mundi machina non aliunde quam a terra naſcitur: Cum enim imbre terra perfuſa eſt, inquit Ariſt. tum ea & ab eo calore qui in illa eſt, & a ſuperiore concalefacta reſpirationes reddit, in quo ventorum vim diximus cōſiſtere. Vbi autem maximam vim aquæ terra excipit; ibi magna vis halituum oriatur neceſſe eſt, non ſecus atque ex viridibus lignis largior fumus. In homine profecto quod terræ maxime reſpondet, ventriculus eſt. Galenus enim cōferens ventriculum hominis cum terra, inquit: Idcirco animalib. vice terræ fabrefecit natura ventriculum, veluti promptuarium quoddam cibi, quemadmodum ſtirpibus terram. Quippe venæ ad ventriculum productæ chylū ex eo in nutritionem totius corporis exugunt, non aliter, quam radices ſtirpium

Ventriculus

pium in terram demiſſæ toti plantæ ex ea aſſumunt nutrimentum: tota nanq; hæc actio naturalis cum ſit, haud ſecus in animalibus quam in plantis perficitur. Ventriculo itaque cũ terra maxima proportio eſt. ſed terra ex ſe arida & exſucca niſi largo humore imbuatur fructus non fert, vt Virgilius ait:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus. Georg. lib. 2.

Humectata autem ventos, vt ſupra demonſtrauimus, efficit. Sic ventriculus noſter, cum ſit menbranoſus & aridus, niſi mediocri cibo & potu irrigetur reficiaturque, reliquum corpus ſuo alimento defraudabit, & in marcorem atrophiamque deiiciet. Atqui liberalior potus ſi ingeratur, fluctuationes & flatus excitantur. Superfluum enim nutrimẽtum & copioſius quam ventriculus ſubigere poteſt, inſitum eius opprimit calorem redditque languidiuſculum: nihilominus tamen is ſui muneris haud immemor coquendum cibum aggreditur. Verum cum exacte conficere haud poſſit vapores, excitat quos minime diſ-

cutit, efficitque flatum. Senſim deinde prima coctione impedita, pituitoſi, craſſi, glutinoſique humores generantur, nõ in ventriculo dumtaxat, ſed & inteſtinis maximeque colo. Ex his ſimili quadam ratione atque ex cibo a languidiore calore eleuati ſpiritus, ſiquidem nebuloſi ſunt, ſine vehementi dolore ventriculum & abdomen, nihil grauius machinati, diſtendunt: paulatim vero circumiacentium viſcerũ calore extenuati, qui in anguſto prius ſtringebantur, dilatari nunc mouerique incipiunt, & ampliorem locum capeſſere, modo ſurſum, modo deorſum, horſum prorſumque fluctuantes qnærunt exitum: quem ſi nanciſcantur, ilico euaneſcunt, & omnis ceſſat dolor. Sin autem duriore ſtercore, aut craſſo phlegmate obturatis inteſtinis, tranſitus impediatur: detenti recurrunt, magnoque cum murmure fremunt, inteſtina conuellunt, & maximo impetu confertimque regurgitantes laborant, & iter ſibi vi ac pugna parant. Cum enim calor vicinorum viſcerũ eos extenuet, extenuati prõptius imo propria ſponte moueantur, motiq;

multo tenuiores & apti, quo longiſſime penetrare poſſint, reddantur: per omnia irrumpunt, & fulminis inſtar quouis celerrime feruntur, exiguos meatus diducunt, vnitatem ſoluunt, nec quicquam tam ſolidum, quod ſua tenuitate cum intolerabili dolore nō permeēt. Pulchre huic flatui conueniunt, quæ Seneca vē to tribuit: nempe quod eius vis non poteſt cohiberi, nulla eum teneat compages, ſoluatque indomita naturæ potentia quodcunque vinculum. Spiritus nãque inuicta res eſt. Optimum (ni fallor) de eo iudicium ferent illi ſoli, qui eius ferociæ periculum aliquando fecerunt, & cum eo colluctati ſunt: ilico enim furibundus hoſtem deiicit. Quemadmodũ itaque alium ſuæ generationis locum ventus non agnoſcit quam terram: ſic etiam Flatus aliis in locis raro quam in ventriculo, & ſubditis inteſtinis veluti terræ cauernis gignitur. Inde dilapſus in viſcera quæcunque & in reliquum corpus permeat. Rarum enim & peruiũ humanũ corpus eſt multoſq; habens meatus, per quos ſpiritus fertur, qui vbi maior influxerit, nec emittitur, corpus

Lib. 6. Natur. queſt. cap. 18.

(vt diximus) concutit, rigorem inducit, & grauiſſima, quæ poſtea recenſebimus, Symptomata infert.

De ratione generationis Flatuum. Cap. 5.

GEneratio Flatuum a calore eſt. calor modo intenſus modo remiſſus & languidus; cuius quidem ratione vt a materia illi excitantur, ſic & diſcutiuntur. Viſcerum enim calor validus, prius illos diſſipat quam vim accipiant, imo & ab initio ne exoriantur impedit. Abſolutum frigus nullos ſpiritus excitat, vt in extremis cruditatibus apparet. Ob id Hippocrates docet, in diuturna læuitate inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat bonum eſſe ſignum; quod nimirum prius quam ructus ederetur nullum eſſet coctionis ciborum veſtigium, propter caloris natiui quendam interitum; qui poſtquam cœpit quaſi repullulaſcere & rèuiuiſcere adhuc languidior, ob paruam quam fecit in ſumptum cibum operationem, ſpiritum excitat, & per ructum reſoluit. Non itaque magnus calor, nec extrema frigiditas, ſed media conſtitutio flatum teſte Galeno efficit. Flatus ait in ventri-

lib. 6. Aph. 1.

culi ſpatiis oriri ſolet, cum vel humores pituitoſi ibi contenti, vel cibi ab imbecillo calore in vapores reſoluuntur. Etenim vt abſolutum frigus vaporem haudquaquam excitat (neque enim extenuare, neque conficere, neque diſſoluere cibum poteſt) ita vehemens calor magna ex parte vincens ea quæ comprehendit; pluſquam pro vaporis generatione cibũ extenuat, niſi is ſuapte natura facile in flatum tranſeat. Calor autem in cibos agens ſi parum validus fuerit, vt eos quodammodo diſſoluit, ita non omnino conficit: atque hinc flatus exoritur. Atque vt vno verbo abſoluam: quemadmodum in externis rebus videmus, vt frigidiſſima conſtitutio maxime ſpirante borea aerem ſereniorem reddit, ac calidiſſima per ęſtatẽ conſtitutio ambientem nos aerem purum efficit, mediæ vero conſtitutiones nebulas pariũt: ita in animantibus accidit. neque enim calor per extremam imbecillitatem, neque cum vehementes ſunt ei vires: ſed quum medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere poteſt. Porro non abſolute vera hæc oratio eſſe vide-

de ſympt. cauſ. Lib. 6. cap. 2.

tur, cum non a mediocri dumtaxat, ſed vehementi etiam calore ipſemet Gal. 12. Methodi med. flatus fieri docet. quod quidem manifeſtum eſt, partim ex eorum generatione ibidem tradita, partim ex curandi ratione. Ait enim: Si ex accidenti aliquo coniunctus his humoribus craſſis & glutinoſis halituoſus ſpiritus eſt, qui ex iis quibus continetur corporibus erumpere prorſus non poteſt, grauiſſimis omnino doloribus, qui ita ſe habent, cruciantur: quippe accidit id illis duplici ex cauſa: vel obſtructione vel calore. Nam & obſtructio ſpiritum cohibet, nec exire permittit, & craſſa glutinoſaque cum calefiunt, flatuoſum ſpiritum gignere ſolent. Et paulo poſt: Quo pacto igitur dolores eos, quos frigidus humor in medio inteſtinorum interclusus excitauit, ſanare conueniet? Sane non perfuſionibus & cataplaſmatis, quæ valenter excalefaciant: lenti enim omnes, craſſique, & frigidi humores, ab iis quæ calefaciunt, niſi etiam valenter digerant, liquantur, & in flatum mutantur. Oportet igitur

eos incidere ſimul & concoquere, quas res tenuantia medicamenta præſtabunt, potiſſimum tamen ſi calida vehementer non ſint. Ex his Gale. verbis facile videre eſt, vehementem calorem non impedire quo minus flatus fiant, aut ſi quidem facti ſint, non eos diſcutere, verum cum nulli ſint, ex materia de integro excitare: adeo vt idem Gale. crebro admoneat, a nullo tantopere in eiuſmodi humorum abundantia metuendum eſſe, quam ab immoderato calore, qui eos liquet, atque in flatum vertat, digerere autem non valeat. Optime id animaduertit medicus ille Italus (vt eſt apud Paulum Aeginetam) qui omnes fere cholicas affectiones frigidis remediis, præter omnium opinionem perſanauit: nec ipſummet Paulum hæc res latuit, Medendum inquiens doloribus, qui ad gelidos, tenaces, & ſpiſſos humores referuntur; prouidendo, ne vehementer calida adhibeantur remedia: Nam ab admodum calorificis præſidiorum materiis liquefacti funduntur, magiſque in flatu-

Lib.3. ap.43. -c ibid.

lentum ſpiritum rediguntur humores eiuſcemodi. Ceterum non ex pituitoſis duntaxat humoribus validus calor flatus efficit, quos abſumere non poteſt, ſed ex quauis aſſumptorum nimia prorſus humiditate, vt in iis qui largiore potu vini vel cereuiſiæ ſe impleuerint, vel iurulētis diſtēderint, vel vllius rei lentore ac craſſitie maiore ſeſe inferſerint, quā calor peruincere queat. Calor itaq; vehementiſſimus, flatus etiā excitat. Hoc in febrib. quoq; perſpicuū euadit, in quibus quidem licet calor præter naturam vehemens exuperet, multa tamen potio ventrem inflat, haud aliam ob cauſam, quam quod copia naturam obtundat.

Tria in flatib. generandis requiruntur.

vnde tria in flatibus tam generandis, quam iiſdem perſpiciendis requiruntur: 1. calor debito infirmior ſuapte natura, 2. aut ab oppreſſione: locus idoneus ſenſuque præditus, 3. & materia flatibus efficiundis commoda.

De Flatuum differentiis. Cap. 6.

FLatuum non vna eademque, ſed diuerſa natura eſt: alius enim quieſcens eſt, alius motus. Quieſcens flatus craſſus eſt, tardi motus, nebuloſus & fri-

Flat. quieſcens

gidus, alia raro ſymptomata, præter quam quod hypochōdria, ventremque tumidum, & ſine multo dolore turgidum reddat inducens. Hic frequenter diuexat eos qui craſſam,recentem,pauloq;dulciorē cereuiſiā,lac.aut aquā potiſſimū inter prandiū & cęnā biberunt: tunc enim per intēpeſtiuā potus aſſumptionem interrupta ventriculi concoctione, non aliter eneruatur eius actio, quam ſi in feruentem lebetem frigidiſſimam infundas aquam, vnde fluctuationes & nebuloſi ſpiritus exoriuntur, qui abdomen totum inſtar tympani inflant diſtenduntque: quæ diſtenſio moderata ſobrietate, efflatibus, vnoque aut altero ſeceſſu ſubſidet. Sin autem longa mora inter inteſtinorum tunicas ſe inſinuat periculoſam cholicā affectionem minatur. Flatus motus quia ſubtilis eſt & tenuis, cum intolerabili dolore vagabundus diſcurrens, tanquam Proteus quiſpiam varius efficitur. Excutitur enim aut retinetur:exit cum ſono, aut ſine ſonitu:& per os,aut per anum.Per os ructum facit acidum, fumoſum aut inſipidum. per inferiorem partem de-

mittitur ſine ſtrepitu, & peditus dicitur: aut cum ſtrepitu, vocaturque ventris crepitus. Porro hi tanti momenti ſunt in humano corpore, vt Stoici, teſte Cicerone, dixerint, crepitus ęque ac ructus liberos eſſe oportere. Claud. etiā Cæſar dicitur edictum meditatus, quo veniam daret, efflatum crepitumque ventris in conuiuio emittendi, quod periclitatum quendam ex pudibunda coertione comperiſſet. Cum autem per neutram partium flatus defertur, ſed in corpore retinetur, inflationem efficit: ſymptoma nimirum ventriculi ob imbecillitatem non potentis tum redundantem, tum nebuloſum ſpiritum expellere. Porro inteſtinorum alias aliæ partes, cum huiuſmodi ſpiritus in ipſis & continetur, & mouetur, varios excitant ſtrepitus, qui licet non omnes ſortiti ſint nomina, poſſunt tamen ſic declarari, vt nemo, vel mediocris ingenij non intelligat, & quale, & quantum ſit excrementum, & in qua potiſſimū parte circũuoluatur. Quippe ſi acutum tenuemq; ſonum reddiderit ſpiritus, per tenue & omnino anguſtum defertur in

Lib. 9 Epiſt. Epiſt. 22. Suet. in vita Clau. ca. 23.

Gal. de Sympt. cauſ. lib 6. cap. 6.

teſtinum, ipſeq; & purior, & magis aereus eſſe deprehenditur. Quod ſi ſpiritus inflandi vim habeat, exiguum ſimiliter ſtrepitum excitabit, dũ per tenuia inteſtina reuoluitur, ſed non adeo exacte acutum & tenuem. Atq; omnes huiuſmodi ſtrepitus in ieiuni inteſtini ſpatiis conſiſtere ſolent, eoq; minus reſonãt, quo magis ad reliqua, inferioraque inteſtina deſcenderint. Porro ſunt alij bomboſi (vt ita dicam) bombis latiſſimarum tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent ij, qui Tymbaulæ (id eſt Siticines) nominantur quæ ob materiam, ex qua conſtant, purum ſonum reddere non poſſunt, & viæ, qua ſpiritus tranſit, latitudo ſonum efficit grauiorem. Atqui huiuſmodi flatus in craſſis conſiſtunt inteſtinis, vbi fuerint excrementis vacua. Quod ſi humiditas aliqua in ipſis contineatur, ab hac quoque prodibit quædam bombi ſpecies, quam *βορβορυγμὸν*, id eſt, murmurillum vocant, futuram nuntians humidi excrementi deiectionem. Etenim eiuſmodi ſtrepitus ſpecies, vtrumque ſignificat: deiectionem quidem, quia

a mouente natura fit ; humidum vero excrementum, quia murmurationem habuit comitem. Porro ſtrepitus flatu in foras miſſum ſequens, ſi murmurilli ſpeciē refert, deiectiones ab ipſo fore pronuntiat. Si vero purus, reſonans, claruſq; fuerit alterum duorum, aut inteſtinum eſſe inane, aut in ſuperiore eius parte excrementa admodum dura contineri ſignificat. Qui vero veluti ſtridorem refert, is ab inſtrumentorum anguſtia & inflante ſpiritu, atque pauca humiditate procedit. Huic loco par erat adiungere differentias ſonorum ex flatibus in ſenſu auditus euenientium, differentiis enim flatuum explicandis hoc caput dicatum fuerat: ceterum multo commodius & maiore legentium vtilitate eas reſeruauimus in caput vndecimum, vbi ex profeſſo de aurium dolore tractatur.

Quot morbi genera Flatus producant. Cap. 7.

TRia ſtatuit Galenus ſumma morborum genera, Similarem, Organicum, & communem, qui vnitatis ſolutio dicitur. Similaris eſt qui eucraſiam, naturalemque conſtitutionem peruer-

tit. Organicus qui vel conformatione, numero, magnitudine, ſeu compoſitione inſtrumenti ſymmetriam infringit. Porro communis fit, quando partium vnitas diſſoluitur. Horum trium generum flatus vnumne, duo, an vero omnia inferre queat, perſcrutemur. Quando, inquit Hipp. corpus cibis expletum eſt, ac ſpiritus quoque multitudo vehementer excellit, cibique diu ventri immorãtur, quum præ multitudine exire nequeant, & inferior venter, & aluus ſit obturata, per vniuerſum corpus flatus permeant, ſanguineque plenas corporis partes maxime petentes, eas infrigidant. Infrigidatis autem locis vnde radices ſanguinis prodeunt, per vniuerſum corpus horror conſequitur. Vniuerſo namque ſanguine frigefacto totum corpus horret. Hanc ſententiam Galenus confirmat inquiens, Eiuſmodi ſane affectus iis qui ſe cibis natura frigidis & conſiſtentia craſſis ac glutinoſis referſerunt, quando in ipſis inteſtinorum tunicis flatuoſus ſpiritus continetur, potiſſimum incidit. Nam cum hæ duplices ſint, vbi me-

lib. de flatib. Similarly

Meth. med. xii

dio earum ſpatio eiuſmodi collectus humor eſt, in flatulentum mutatur ſpiritum. Sane is & craſſus, & tardi motus & frigidus eſt. Vbi igitur retinetur, tum tunicas diſtendit, tum ſuccus vnde oritur inteſtini partes quas contingit, vehementer refrigerat, duplicique occaſione affliguntur qui ſic laborant. Horum virorum inſtar omnium authoritate & teſtimonio manifeſtum eſt, flatum ſua frigiditate morbum quem ſimilarem vocant, quique in intemperie conſiſtit, proferre poſſe. Atqui non modo hunc, ſed & vnitatis ſolutionem. Cum enim duplici occaſione dolere eos qui ſic laborant, tunicaſque cũ retinetur diſtendi afferat, nec diſtenſionem ſine dilaceratione fieri poſſe certum ſit, ſequitur ne intelligi quidem poſſe vnitatis abeſſe ſolutionem, quum flatuoſus ſpiritus cum dolore ingruit. Duæ nanque in vniuerſum doloris cauſæ ſunt, vna inæqualis intemperies, quæ ſubito & confertim inuadit: altera dum continuitas ſoluitur. Si quidem partes a ſe inuicem diuulſæ, ſiue ab humore, ſiue a ſpiritu flatulento id fiat, do-

Doloris cauſſa duplex.

lent ob continui diuortium. Quippe
ſi frigidum Hippocrates non alia de
cauſa vlceribus mordax eſſe dicat, quam Frigidum Vlceribus mordax.
quaſcunque contingit partes earum
contrahat, condenſet, conſtringatque
ſubſtantiam, conſtringendo vero mol-
les continui partes diuellat, earumque
continuitatem ſoluat: ſi præterea in a-
cutiſſimis febribus violentius exiccata
neruoſa corpora, ac ob id in ſe coacta
conuellantur: nimia deinde repletio
in latum ea & profundum extendens,
ſed longitudine abbreuians, ob id con-
tinui diuortium faciat, quanto diffici-
liorem continui ſolutionem flatuoſi il-
li ſpiritus ſuſcitabunt, qui eius ſolius ra-
tione tot tamque grauia & enormia
procreant ſymptomata, quæ medici
totam curam ad ſe trahunt. Ter- Organice morbi
tio, ex ſequentibus patebit totum in-
terdum abdomen a flatu præter na-
turam intumeſcere, vt in Tympanite
ſolet: Iecur deinde, & lienem miri-
fice obſtrui, inſtar ſchirri indureſce-
re, & in maiorem molem, quemad-
modum & ventriculus, efferri: quæ
ſane omnia morbi inſtrumentales

veniunt appellandi. Quocirca & tertiū morbi genus quod organicū appellāt, a flatibus excitatur. Porro vbi pars aliqua in tumorem attollitur, atque iccirco meatus illius occluduntur, ſiquidem talis particula nullam habeat propriam operationem, obſtructio ipſa meatuum dicetur morbus dumtaxat: tumor vero nequaquam, ſed obſtructionis cauſa. Ceterum ſi affecta pars aliquod munus proprium obtineat, hac ratione tum obſtructio ipſa, tum particulæ tumor, morbus eſt appellandus. Triplex itaq; morbi genus, ſimplicium intemperiem, inſtrumentalium immoderationem, & vnitarum partium ſolutionem flatuoſi ſpiritus producunt.

Gal. de diſ. mor.

Continui ſolutione

De cauſis flatuum. Cap. 8.

PAuci admodum ſunt, vel potius nulli, ciuſuis ſortis & conditionis homines, qui non aliquando flatuum iniuriis ſubiiciantur: ventriculus enim prima coctionis officina, cibos per gulam tanquā per longas quaſdam manus attrahit, attractos complectitur ac retinet, retentos comminuit, conterit, & immutat, purumque ab impuro ſecernit: hoc per in-

inteſtina deiicit,illud vero exugũt meſe raicę venæ,& in iecur transferunt. Cum igitur vẽtriculus ob imbecillitatem attractum cibum non amplexatur nec continet,fluctuat: fluctuantem rite cõficere nõ poteſt:quod cum non facit,recte ſuo munere non fungitur. validus enim ſit oportet & robuſtus. Robur, teſte Galeno, in quatuor qualitatum optima temperie,quæ eius eſt ſubſtantia, conſiſtit. Huius itaque ſubſtantiæ ratione nutrimentũ in propriam eius quod nutritur qualitatem mutat, auxilio eſt circumiacentium viſcerum, cordis nimirum, iecoris & lienis, renum & ſepti tranſuerſi calor, qui ventriculo veluti magnus ignis lebeti ſubditur. Quando itaque perperam inſtituta victus ratio (nullus enim eſt,quantumuis diligẽs valetudinis conſeruator, qui non ſubinde eius limites tranſiliat)aut vis extrinſeca eius robur diſſoluat, aut ſubditum ignẽ eneruet: ſequitur neceſſario ventriculi virtus etiam labaſcat,& ſecũdum cauſę exilitatem aut vehementiã,ipſa variet. Porro frigiditas externa vt in regionib. frigidis,& ſtatu aquilonio penetrãs vſq;

ad interiora, in corporibus debilibus & raris natiuum calorem offendit. Ambientis etiam nos aeris nimius ardor, naturalē calorem euocans diſſipanſq., viſcera ſua caliditate deſtituit: diminuto calore, concoctio non perficitur, & flatus generantur. Atqui naturalis calor robuſtior, magna ex parte vincens ea quæ comprehendit, pluſquam pro vaporis generatione cibum extenuat, niſi is ſuapte natura facile in flatū tranſeat. Porro vētriculus, tametſi validus ſit, natiua vis vigeat, nullaq; adſit caloris imbecillitas; ab alimentis tamen flatum gignere idoneis frequenter offenditur. Quæcunque itaq; ſeu alimenta, ſeu medicamenta ex propria natura flatulenta ſunt, aut ſua frigiditate. & multitudine vētriculi robur diſſoluūt, & natiuum eius calorem opprimunt, flatuum cauſæ eſſe merito iudicantur. Eiuſmodi ſunt leguminum, ſeminum cerealium, & fructuum fugaciū, quos ὡραίυς Græci appellant, maxima pars. Hæc omnia, inquit Galenus, & iis multo magis, quæ ante exactam maturitatē mandimus, flatuoſa quidē ſunt, verum ſubducuntur celerius. Et iterum

Alimenta flatulenta.

De aliment. fac. Lib. 2.

in principio eiuſdem libri ſic argumentatur: Omnia edulia quæ primo libro fuerunt commemorata, plantarum erant ſemina exiguum quiddam a fructibus diſcrepantia: Sed horæi fructus omnes flatulenti ſunt: Omnia igitur plantarum ſemina magis aut minus edunt flatus in corporibus noſtris. Cibus enim, qui ex fabis conficitur, flatulentus eſt, etiam ſi coquatur diutiſſime: id quod ſentientes nonnulli cæpas ipſis adiiciunt, cum quicquid flatulentum cibariis ineſt, corrigatur per calefacientia & tenuantia. Porro ſi frixę fuerint, ſicuti & legumina omnia, flatum quidem deponunt: ſed concoctu ſunt difficillimæ, tardeque prætereunt, & craſſi ſucci alimentum exhibent. Attamen quocunque modo apparentur, inflant, ne per longiſſimam quidem coctionem id vitij amittentes. Qui certe volet animaduertere affectus, qui ſingulos cibos ſequuntur; quandam ab eſu fabarum totius corporis tenſionem, quaſi a flatulento ſpiritu perſentiſcet, maximeque qui ad huiuſmodi eſculentum non fuerit aſſuefactus, aut

ipſum minus recte coctum aſſumpſerit.
Piſa Piſa licet tota ſua ſubſtantia ſint fabis conſimilia, non tamen ſunt vſque adeo flatulenta. Hæ duæ leguminum ſpecies quod copioſe apud noſtrates ſerantur, plebiq; admodũ ſint familiares, & in multo apud omnes vſu, ob id noxa quam inuehunt minus percipitur; nã quę libẽter & magna cũ voluptate aſſumimus, ea arctius complectitur & retinet vẽtriculus, atque multo facilius concoquit. Cicera non minus fabis ſunt flatulenta: veruntamen cũ non ſint tãtopere ab omnibus expetita, nihil adeo ab iis metuẽdum: qui tamen libenter iis veſcuntur, inter coquendũ calaminthi, cepæ, anethi, aut pulegij nonnihil adiiciunt. Lentes etiam, phaſioli, dolichi, idq; genus alia ſtomachũ male habent, eumq; & inteſtina inflant. Fructus horarij Fructus præterea horarij fere omnes huic vitio obnoxij inueniuntur: crudi enim ſunt, multoq; humore excrementitio & inutili ſcatent, maxime qui ad maturitatem necdum peruenerunt; pituitoſi quoq; ſunt, & ex propria natura flatulenti. Inſuper frigiditate ſua & humiditate, præſertim ſi im-

moderatius ingerantur, calorem natiuũ obtundunt, & lãguidiuſculum efficiũt, adeo, vt quos eleuat flatus minime diſcutere poſſit. inter hos principem locũ obtinent mora prunaq; maxime recentia, & poſt cibum ſumpta. Ceraſa omnis generis, ſed potiſſimum quæ Iuliana Plinio, vulgo ceraſa Hiſpanica appellãtur. Melones deinde, pepones, cucumeres, cucurbitæ, poma & pira. Sed hæc quidẽ cocta minus inflant crudis: inflant tamẽ ipſa quoq; magna ex parte, ſed innoxia fiunt, ſi vna cum carminatiuis vulgo dictis, hoc eſt, calefacientibus, tenuantibus & flatum expellentibus, aniſi nimirum aut marathri ſemine comedantur. Ficus etiam, inquit Gal. nutriũt vberius ceteris autumnalibus fructibus, flatibus tamen hæ quoq; implent: attamen cito ex his orti flatus intereunt, qui ex facili per aluum ſubeunt. Caſtaneę item largius in cibum ſumptæ capiti dolorẽ inferunt, ventrem inflant, aluum aſtringunt ac ęgre concoquuntur. Radices quoque, rapum, raphanus, napus, conſimileſq; flatuoſæ ſunt. Cerealia etiam ſemina, panicum, milium, triticum, præ-

Lib. 2. de Aliment.

Radices

Cerealia

ſertim elixũ,& hordeum,ſingula non parum flatuoſi ſpiritus conferunt, ſed rapum & raphanus ceteris magis. Piſces quoq; in hoc catalogo aſſcribo omnes; pituitoſi enim ſunt ac flatulenti, præſertim qui ſunt ex cetaceo genere prægrãdes,& ex minoribus qui viſcidam habẽt & glutinoſam carnem, quales ſunt anguilla,ſalmo, lampreta & tinca, idq; cũ primis elixi; aſſi vero minus inflant, minuſq;etiam illi,qui friabili ac molli carne conſtant, quales ſunt, quos ſaxatiles appellant;tametſi Cornelius Celſus flatulentos eos minime eſſe aſſerat eo loco quo ſuccincte admodũ cauſas flatus excitantes enumerat. Inflãt(inquit)omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia dulcia,omnia iurulenta,muſtum,atq;etiã id vinum, cui nihil adhuc ætatis acceſſit.Ex oleribus,allium,braſſica,cępa omneſq;radices, excepto ſiſere & paſtinaca,bulbi,ficus etiam aridæ, ſed magis virides,vuæ recentes, nuces omnes, exceptis nucleis pineis;lac,omniſq;caſeus quicquid deinde ſubcrudum aliquis aſſumpſit. Minima inflatio fit ex venatione,aucupio.&c.Recte hic Celſus omnia

Piſces.

Celſ. lib. 2.cap.26.

olera.

pinguia inflare dicit; nam ex ſententia Pingvia
Galeni ſtomachum ſubuertunt, tarde coquũtur, implent, & coquendo turgeſcunt, ſiue id flatibus inde per imbecillũ calorem excitatis, ſiue pingui materia rarefacta, & tanquam exundante fiat. Dulcia etiam, præſertim ſi craſſa ſint Dulcia
ac lenta, inflandi vi pollent: muſtum enim ni pertranſeat velocius, vẽtrem flatibus implet, difficulter concoquitur, craſſum gignit humorem, & dolorem infert capiti. vnde recte in ſuis problematibus quærit Ariſt. Quare bibere de nouo muſto ſit valde periculoſum ipſi ſtomacho? quia eſt indigeſtibile, ergo multum inflat ventrẽ, & quodammodo dyſenteriam prouocat. Lac capiti non be- Lac
ne firmo & hypochondriis, quæ leui de cauſa inflantur, inimicũ, vt pauciſſimos inuenias quibus ventrẽ flatib. non diſten- Lib. 5.
dat: quod teſtatur Hipp. cum dicit, Lac Aphor.
dare caput dolentibus, & quibus hypo- 64.
chondria ſublata murmurant, malum eſt. Galenus etiam in eundem Aphoriſmum: Vbi enim iis qui integra valetudine fruuntur, lac capitis mouere dolorem, & hypochondria inflare videmus:

quibus profecto iam dolitat caput aut inflata ſunt hypochondria aduerſiſſimum eſſe cogitatione colligere facile poſſumus. Lactis itaq; vſus ſummopere vitandus flatuoſis. Mulſum etiam & defrutum inflare conſueuerunt, & aqua mulſa, potiſſimum cruda: iubet enim Hipp. eam mulieribus dormituris adminiſtrandam, dum noſſe quis velit an mulier grauida ſit. Si ſcire (inquit) velis an mulier conceperit, dormituræ aquã mulſam potui dato, & ſi ventris tormina patiatur concepit; ſin minus, non concepit: tormina patitur propter flatuoſum ſpiritum qui facilem exitũ non habet: hic ab aqua mulſa excitatur, nam & mel ipſum dum crudum eſt, ventrem & inteſtina flatibus implet. Huc facit ceruiſia quæ ſeptentrionalibus populis vini loco eſt, quæq; ad Dioſcoridis zithũ proxime videtur accedere: admodum profecto flatuoſa ea eſt, maxime recens, cruda & imperfecte cocta, aut in loræ modum per prius coctæ materiã dumtaxat transfuſa. Hæc quidem quo tenuior & crudior eſt, hoc nutrit minus, inflat vero & refrigerat valẽtius, parum

Mulſum — *Lib. 5. Aphor. 41.* — Ceruiſia — *Lib. 2. c. 80.*

ab aquæ qualitate diſcrepans. Eiuſmodi cum primis habentur, Brabantiæ, Hollandiæ, omniumque Belgarum præcipue plebeiorum ceruiſiæ. turbidę enim plerumque ſunt & male coctæ, vnde vrinarum meatus obſtruētes refrigerantesque, ſtranguriam producūt, calculoſis nocent, breuem ſpirationem efficiūt, pituitatem augent, ventris inflationes, tormina & colicos cruciatus generant. Veteres vero, defæcatæ, claræ, bene & ex optima materia a diuitibus (qui proprio vſui eas, haud venales præparāt) coctæ, tanto magis pernicioſas has qualitates exuunt, quo propius ad vini naturam accedunt. Atqui negligentius præparatę, cum vſus earum aſſiduus ſit, copioſeque ingerantur, dictu mirū quā grauia inferant accidentia, nulla tamen frequentiora quam inflationes, eaſque grauiſſimas: adeo vt pauci vel potius nulli omnino ſint, qui ex cereuiſiæ huius largiore vſu, flatuum cruciatibus non reddantur obnoxij. Si tamen vel copia vel acrimonia irritatus venter cullus inteſtinaq; deorſum propellant ſuperfluum, & aluus copioſe ſoluatur: aut

ipſa ceruiſia defęcatior tenuiorq; per du ctus vrinarios largiter reddatur, aut reiiciatur vomitu (multis enim hæc eueniunt) tum de inflationibus tantopere nõ eſt metuendum, quippe moderata potio, & quantũ ad ſitim reſtinguẽdam, & deducendum cibum ſatis ſit, multo eſt naturæ noſtræ, quã aqua gratior, ad vini tamen dotes neutiquam aſcendere valet. Porro aquæ vitia, Galeno teſte, ex eius frigiditate dependent omnia, cuius quidẽ ratione in præcordiis diutiſſime moratur. fluctuationes excitat, in flatũ mutatur & corrumpitur, & ita ventriculi robur reſoluit, vt deterius proinde cõcoquat, ſed nec digerendo per corpus alimẽto aliquid magnopere conducit.

Aqua

Lib. 1. de ſimpl. facul.

Vinum

Vinum autem comprehenſis iam aquæ vitiis, aduerſam quodãmodo naturam habet, cum nec inflet præcordia, imo ſi inflata ſint, ſubſidere faciat, nec inibi morã trahit propter caloris mediocritatem. Medium itaq; quodammodo ordinem inter vinum & aquam cereuiſia communis occupat, ad aquæ tamen quam vini naturã magis inclinans. Inflat enim, & diu ſatis propter craſſitiem

in præcordiis hæret: verum non ita calorem natiuum obtundit, aut ventriculum eneruat. Defæcata autem, vetus, & exquiſite coctа vino eſt viciniſſima. Digeſtionis enim vias aperit, ad celeritatem deductionis in corpus conducit, boni ſucci eſt, & ad miſcenda cõcoquẽdaque ea, quæ in ventriculo & venis ſunt, idonea, & parum admodum inflat, multis nominibus muſto, defruto, & aliquot crudioribus vinis præferenda: quoque magis ad vini facultates accedit, hoc magis ab aquæ vitiis declinat. Aquæ quidem potus tum glacialis, tum etiam putealis nihil boni confert, potiſſimum iis qui ventriculo ſunt frigidiore, non ea dumtaxat ratione quod ilico poſt cibum hauſta (vt Galenus vult) eum faciat innatare, cum ſeſe interponens inter cibum & ventriculi corpus, ſeparationem & fluctuationis ſenſum inuehát: id enim & vinum, & optima cereuiſia, imo quiuis potus efficit: ſed quod grauis cum ſit & frigidiſſima, calorem naturalem quaſi ſtrangulat, concoctionem impedit, ventriculum, pectus, ac pulmonem male ha-

bet, vrinam cohibet, laterum dolores, hydropiſin, colicum affectum, & iliacam paſſionem difficillimam generat. Ceterum flatus procreare nō huic modo aut illi rei tribuendum, verum quodcunq; id tandem ſit vel vinum, vel cereuiſia, vel lac, vel aqua, aut iurulenta alia quantumuis ſalubria, quorum nimia potione homines ſeſe diſtenderint, aut alterius rei lentore, craſſitieue maiore quā calor peruincere poſſit inferſerint, ſpirituum flatuoſorum cauſa ſunt. Quippe immoderata copia vētriculi actionem hebetat, & imbecillam reddit: imbecilli ventris ſymptoma, Galeno teſte, ſonitus eſt fluctuantis humoris. Venter enim cum pro ſua natura ſe habet, ac conſtrictoria virtute vtitur, quamlibet exiguū ſit quod in ſe continet, vndiq; conſtringit, & nullum vacuum relinquit locum. Cum autem plenus eſt, ſonitus fluctuantis in eo humoris, veluti ex vacuo obauditur, nō equidem exacte quacunq; parte complecti aſſumpta valet. Quocirca laxum quoddam ſpatium efficiens, permittit ea quæ in ſe continet humida pro figurarum varietate ex alio loco in aliū

tranſire, ac fluctuationum ſonitus edere. Tunc venter intumeſcit, inflantur turgidaq; redduntur præcordia, & multa cruditas, pituitoſi, craſſi, lentique humores ſenſim congeruntur. Hæc quidẽ cruditas ſi cum ventriculi quadam vexatione copuletur, vigilq; eã ob cauſam ęger maneat, nec ſomnus adrepat, valde malum. Vigilia enim & vexatio ventriculi inquietudinem pariunt, & per lectũ reuolutiones. aſſidue vero hucilluc reuolui, flatus efficit, flatuumq; materiã ſurſum efferri cogit. Ex immoderata itaq; ciborum & potuum copia, fit cruditas, ex cruditate craſſi ſenſim & viſcidi humores coaceruãtur: in quos medicamenta calida tam ſimplicia quam cõpoſita, ſiquando (vt plerunq; fit dum ignorantis medici conſilio vtuntur infirmi, aut ſibi ipſis mederi ſtudent) incidant: flatus quidem non de ſe, ſed e tali pituita ſuſcitant. Quinimo & vinum quantũuis generoſum, quod alioqui ſuapte natura diſſipandi flatus facultatem habet: quicquid deniq; eſt liquidum, ſi non ſua vi, certe ſua copia calorem opprimente, aut eius rei cui miſcetur natura, infla-

Vigilia.

Immodica Cib. & potus copia.

Liquidiora

tionem producere poteſt. Porro omniũ earum cauſarum, quas hactenus recenſendo proſequuti ſumus, nullæ deteriores ſunt, nullæque ad hos a flatu affectus creandos promptiores, quam in multã noctem cõpotationes extrahere, pleno abdomine, multoq; potu diſtento cubitum concedere, & inter duos paſtus, aut paulo poſt cibum ſumptum, bibere. Ea enim cibi concoctio (inquit Ariſt.) quæ in corpore procuratur, ad elixationẽ accedit; præſertim cũ in re humida & calida a corporis calore fiat, cruditateſque nonnullæ ſimiles ſunt non plenæ elixationi. Quemadmodũ itaq; cum in feruentem lebetẽ multũ aquæ frigidæ, aut alterius liquoris infundimus, elixatio hebetatur, interrũpiturq; feruor, ac ita impedita elixatione relinquitur cruditas: eodẽ modo ſi ſtatim a prãdio aut cœna bibatur, incepta concoctio, quę elixatio quædam eſt, interrũpitur, fitq; cruditas quã fluctuatio ilico & inflatio ſequũtur, & totius vẽtris tympani inſtar diſtenſio. In huius rei confirmationem dicit Galenus: bibendum ilico poſt cœnam nõ eſt, antequam cibus fuerit cõcoctus. Siqui-

Compotationes nocturnæ.

Meteor. Lib. 4. cap. 3.

Potio ſtatim a cibo interrumpit Concoctionem.

dem innatãt cibi; ſi bibãt, ita vt eos ventriculi corpus propter humorem interpoſitum nõ contingat. Triplici itaq; de cauſa (vt ſummatim, & veluti per genera iam dudum dicta complectamur) inflationes generantur; obſtructione nimirũ, calore, & frigida humidaq; ventriculi intemperie. Nam & obſtructio ſpiritũ 1. cohibet, nec exire permittit: & craſſa 2. glutinoſaq; cũ calefiunt, flatuoſum ſpiritum gignere ſolent, omnibuſque fere hoc modo affectis, præcordia perpetuo turgida inflataq; ſunt, & quicquid aſſumunt, facile in flatus conuertitur, totũque corpus ampliore fere mole, quam pro naturæ modo cernitur. Ventriculi 3. autem frigida & humida intẽperies, ſiue naturalis ea ſit, ſiue poſtea ſenſim acquiſita, aut modo per oppreſſionem natiui caloris a nimia repletione cibi & potus inducta; nihil reliqui habet ad flatuum generationem. Quare ventriculi regio ab ambientis aeris frigiditate quamoptime eſt munienda, ſummoq; ſtudio a pedum immoderata frigiditate eſt cauendum: vtpote quæ citiſſime per neruos ventriculo communicata eius

Generationis flatuum triplex cauſa

Gal. meth. 12.

calorem opprimit, colicum cruciatum omneq; inflationum genus citius quam quiſquam ratus eſt procreat. Atqui flatuum cauſas quum hactenus abunde ſatis (ni fallor) recenſuerim, tempeſtiuum eſt quibus ſignis illi adeſſe cognoſcantur, doceamus.

De ſignis flatuum. Cap. 9.

SIgna Flatuum ſumuntur ex corporis cuiuſque conſtitutione & materia, quæ in eo redundat & dominatur, ex victu præcedente pituitoſo, flatulento, & tenſione hypochondriorum ſine grauitate. Ex ructu item, borborigmis, crepitib. dolore turgido & vago cito naſcente, & cito iterum deſinente: tumore tactui cedente pellucido, & in tympani modum ſonante. Frequens ructu crepituq; auditur flatuum eruptio, cui mox leuamen ſuccedit: aut ſi quauis de cauſa impedito tranſitu regurgitent recurrātque, tenſiui dolores in omne corpus euagantur, vagiq; tranſcurrunt, & inſtar ſpiculi acutiſſimi momento nunc ſub mamillis, nunc inter ſcapulas vel membranas coſtas veſtientes, vel alia quauis in parte ſe infigunt. Verum tum haud diu vigent

vigent quod tenues ſint & ſubtiles, facileq; in ambientem aera diſſipentur. Sõnia fiunt de volatu, aut ſaltu fluuios ſuſpenſo corpore ſuperante, interdum etiã tonitrui & tempeſtatis. Frequẽs aurium tinnitus, partiũ corporis palpitatio, oſcitatio, & crurũ, brachiorum, digitorũq; tetanos. Magna item in colicum dolorem, in alioſq; morbos a ſpiritũ flatulento productos procliuitas. Torſiones creberrimæ circa vmbilicum moleſtant & nauſeæ vomitioneſq; cuiuslibet humoris corrupti, ſed potiſſimum pituitę, mouentur. Aluus obturata & grauiter impedita nihil excernit, imo ne ſpiritũ quidem tranſmittit: interdũ autem pituita vitrea magno conatu aut ſola, aut fæcibus paucis iiſq; duris inuoluta procedit. Stercora excreta nonnunquã bouinis ſimilia, & flatibus plena vt aquæ ſupernatent, videntur. Ceterum dolor non fixus vno in loco hæret, nec perpetuo excruciat, ſed per interualla incrudeſcit, & veluti circuire videtur plurima loca occupans, ac modo in hac, modo in illa parte vehementior infeſtans. Atqui non ſingulis ſingulæ notæ flatu-

lentis obueniunt. Noui enim quoſdam quos tormina circum vmbilicum,& ſæui dolores enecant,aluus tamen optime ſuo munere fungitur,bis,terue ſua ſpōte ſingulis diebus excrementa deiiciens, nec dolor tamen leuatur: indicium aut flatum intra coli tunicas ſe inſinuaſſe, aut ex frigida vitreę pituitæ intemperie, aut ab eius acrimonia ex putredine acquiſita vellicante inteſtina, aut demum ex commiſtione bilis cum pituita illum enaſci,qui deinceps expultricē facultatē ad expellendum irritat. Porro cum præ nimia pituitæ copia meatus obſtruūtur, excremētorū tranſitus impeditur,iis retentis, adauctaq; obſtructione, ſpiritus flexuoſis inteſtinorū gyris orbibuſq; interceptus oberrat,acerbiſſimoſq; cruciatus adfert,quos percurādos temere aggredimur,niſi prius vitreū humorē enematis aut plegmagogis per os ſumptis exturbemus. At ſi ex flatuoſo ſpiritu ſine materia coli dolor fiat, tēſionem magis experiuntur laborantes,atq; rugitū ſentiunt & murmura, dolores celeres, flatuū curſus & recurſus, vtpote qui exitū quærant,nec inueniant, præceſſitq; fla-

tus generantiũ ciborũ ac potuũ vſus. Siquidem craſſi & glutinoſi humores a ſuperueniẽte calore liqueſcant, & in flatus (quod frequenter admodũ accidit) vertantur; iam intermixta erũt, & ex vtroq; coniuncta ſigna, dolorq; tanto moleſtior, quanto cauſa maior: coniunctę enim cauſarum vires ſimplicioribus ſunt multo efficaciores. præter eum itaq; dolorẽ qui pali infixi ſimilitudinem habet, a frigiditate vitreę pituitę acquiſitum: alius etiam ex diſtenſione vehementiſſimus ſentitur, qui per totam ventris cauitatem diſcurrens, ventriculum interdum vna cum inteſtinis afficit. Cum enim ſpiritus ob impeditum tranſitum egredi non poſſit, nec ob ſui craſſitiem, aut corporis denſitatem, meatuumq; conniuentiam exhalare, nec tantam eius copiam inteſtina continere; in ventriculũ regurgitat, eiuſque impedit concoctionem, propterea quod interponens ſe inter cibum & ventriculi corpus, locum quendam vacuum relinquit. Quæ res efficit, vt complectendi facultas non vndiq; prorſus cibos cõtingat, vnde fluctuatio, inflatio priore maior, grauitaſq; ſen-

titur, & ſpirandi difficultas ventriculo comprimente ſeptū tranſuerſum, adeſt. Ingraueſcit autem moleſtia & inquietudo, ſi cibum aut potum ante exactam reſtitutionem ægri ingerant, præſertim lactis aut aquæ aliqualem quantitatem, magis enim tum vētriculus propter intemperiem afficitur, & humor fluctuās vehementius diſtendit & inflat. Leuantur vero ad infimas partes ventris deſcendente cibo, & flatibus ſiue per ructū ſiue per aluum excluſis, raro autem excluduntur dum viget malum; pertinax enim vtrinq; eorum cohibitio, & ſi qui forte ructus tum edantur, inanes ſunt ſine vllo leuamine. Accedit quandoq; tumor & eminentia quædam circa os ventriculi. Dolor etiā aliquando retro iuxta ſpinam eiuſq; vertebras, aliquando etiā iuxta totum thoracem ingruit, ſæpe autem vtrinq; occupatos habet. Porro ſigna reliqua potiſſimū particularia quaſlibet corporis partes a flatuoſis ſpiritibus exagitatas indicantia, ſuo loco, quo ſymptomata ab iiſdem illata tractantur appoſuimus: quare iis hic omiſſis ne ſępius per eandem viam ſit recurrendum

lectorem eo remittimus.

De Symptomatibus a flatuoſo ſpiritu productis. Cap.10.

SEcundum diuerſitatem locorum quos flatus occupat, diuerſa etiam procreantur Symptomata, ditiſſima proles vnicam ſequuta fœcundam parẽtem continui ſolutionem. Hæc ſiquid aliud dolorẽ excitat. Dolor vero omnis præſertim capitis in membranis conſiſtit, quæ ſi neq; ab intemperie aliqua, æſtu, aut frigore, neq; ab ictu, neque ab odore graui, aut humoribus erodentibus offenduntur, neceſſario a flatuum ea ipſa in parte (quod rarius accidit) generatorum, aut aliunde, quod frequentius, eo latorum redũdantia, dolent. Hi inter caluam & pericranium, vel inter cranium & duram meningem, vel inter vtraſq; meninges ſeſe inſinuant, eaſq; diuellunt, & diducunt ab oſſe. Hinc intolerabiles oriuntur capitis dolores. Interdum ventoſitas illa cerebri, ventriculos, totamq; interiorem mẽbranam, quam piam matrem nominant, inſtar veſicæ diſtendens, indicibilem quendam, moleſtum, & doloroſum procreat effectũ:

quem quidem alio modo ægri ſignificare nequeunt,quam quod caput modo diſtendi, modo iterum concidere, & id quaſi auferri dictitent. Hæc cum ſua tenuitate omnia celeriter peruadat, accidit, vt ſi qua maligna qualitate a putreſcentibus in imo corpore humoribus imbuatur,mentem,rationemq; perturbans, horribiles ſomnos, & quædam quaſi melancholica deliria,ingentes capitis concuſſiones, & nonnunquam ipſam mortem afferat.

VErtigo,Græcis δεῖνος,fit,cum caput rotari ſeu circumagi videtur. Scotomia vero,cum vna cum rerum circulatione etiam tenebræ oculis obuerſantur. Vtraq; fit multis de cauſis. Atqui nobis ea dumtaxat propoſita eſt tractanda vertigio, quæ a flatuoſorum ſpirituum in anterioribus cerebri ventriculis, turbulento inordinatoque motu procreatur. Hi enim tenebrarum offuſiones adducunt, & imaginatricis facultatis iudicium peruertunt. Vnde rerum obiectarum rotatio & conuerſio ſe obiicit, ſimulque ſe circumagi & cadere exiſtimant qui id patiuntur. Vertigo itaque

nihil aliud, eſt quam turbulēta commo- Vertigo
tio ſpirituum craſſorum & flatuoſorum in anterioribus cerebri ventriculis. Hic Spiritus in cerebro interdū habet localem generationem ex inæquali cerebri intemperie, interdum ex infernis partibus, ventriculo videlicet & præcordiis ſurſum fertur: quod facile colligere eſt ex iis, quæ capite præcedente a nobis dicta ſunt. Ex cerebro quādoq; in neruorū propagines flatus inſiliens, haud ſecus illas atq; loræ cordas adimplens atq; cōuellēs, ſpaſmū flatulentū procreat, quo Spaſmus flatulentus
manuum pedumque digiti, aliquando crura ſeu brachia integra ſummo dolore extenduntur, vel in ſe contrahuntur.

AVrium etiam acerbiſſimum cruciatum hic ſpiritus profert, cum circum membranas in auditorio organo coercetur. Exitum quippe non reperiēs vehementer illas diſtendit diuellitq; ab oſſe. Diſcernitur autem ab aliis earum affectibus, quod in hoc neq; ardor, neq; grauitas (niſi pituitæ copia ibidem collecta eum foueat) ſed ſola ineſt diſtenſio cum ſtrepitu aut tinnitu. Etenim plurimum intereſt multus ſit an paucus,

craſſus an tenuis: item lente moueatur an celeriter. Nam ſi multus ſit, craſſus, & celeriter moueatur, ſenſorio exhibebit ſimilitudinem aquæ rapido curſu cũ fragore fluentis, vel tympani, vel id genus inſtrumentorum muſicorum, quæ cum largo inflatu ſtridentem ſonitum edunt. Quod ſi paucus ſit, craſſus, & celeriter moueatur; arboris confractæ, vel domus collabentis ſubitæq; ruinæ, vel catadupę præ ſe ſpeciem fert. Si multus, tenuis tamen & celeriter moueatur, tinnitum excitat & eum ſtrepitũ, qui quaſi exaudiri ſolet ad anguſta ædium foramina, ſi quando inſignis ventus perſtrepit & ſe inſinuat. Quod ſi vero multus ſit, craſſus, & nõ celeriter moueatur, ſed lẽte, ſolet magna ex parte murmura excitare. Si autem paucus ſit, craſſus & lente moueatur, exaudiri facit ſuſurrum. Quando autem multus fuerit, tenuis & lente moueatur, ſibilum excitare cõſueuit. Vt plurimum ita affectis ſenſus vel interni, vel externi obtuſi ſunt & hebetes: maximè verò ſenſus auditus, ob ſpirituum craſſitiem, impuritatem & frigiditatem; nec perpetuò quidem, ſed

per interualla dolor afficit.

IN dẽtium etiam radices ſpiritus illabitur, & eorum neruum, aut maxillæ membranam diſtendens, mirum quanto dolore conflictentur, qui eo pacto afficiuntur, vt vix ex vllo remedio cruciatuum lenimen inueniant. Facilis eius eſt cognitio. Non enim perpetuus eſt, vel ex æquo diſcrucians dolor per totum paroxyſmum, vt accidit quãdo ex diſtillatione humores eo decumbũt; ſed per interualla ingraueſcit, & celerrimo motu, veluti ſi ſpiculo infigerentur, affligit. Dentium dolor

PVlmones, tametſi doloribus, vt Gal. author eſt, non infeſtẽtur, ex diſtenſione tamẽ moleſtiã in pectore, vel in ſpina percipiunt: id quod accidit ob membranã eos ambientem, quæ ex fibroſorũ nexum interuentu, ex pectore, & dorſo ſuſpẽditur. Quoties itaq; flatuoſus ſpiritus ſua multitudine, aut celeri agitatione, hanc tunicam diſtendit, mirũ non eſt ſi extenſionis ſenſum, tã in pectore, quã ſpina æger percipiat, maximeq; offendatur: & quod peius eſt, venas interdum diſrumpit, ſanguiniſque effluxum & tabem demum, licet rarius, ingenerat. Pectoris & Spinæ dolor.

Pleuritis men-
doſa.

PLeuritim autē mendoſam frequētius efficit, eamq; interdū admodum difficilem,quoties is inter cutem & coſtas,vel inter membranas coſtas ſuccingentes ſeſe infert,eaſq;a vicinarū partiū adheſu diuellit. Spiritū hæc intercipit, nec libere & magnum ſpirare ſinit,quod latus atq;thorax ad reſpirationē conferāt,motuq;irritētur. Tuſſim ſiccā & febrē interdū ex dolore efficit:vtq; paucis dicam,falſis indiciis veram mentitur ex phlegmone pleuritidē:vnde fit,vt pleriq; medici,qui acutū non cernūt,vel paucis contēti,iiſq;haud pathognomonicis ſignis,facile fallātur, perperāq;inſtituta curatione, grauiſſimorū ſymptomatū fiāt authores. Longe lateq; a vera pleuritide diſtat illa,quæ mēdoſa nobis a flatu dicitur:illius ſigna huc adferre præter inſtitutum foret:huius vero quæ a flatu, dolor vagus fere eſt,nec diu eadem ſede perſiſtit, niſi valde nebuloſus & craſſus ſit:verū calore & fomētis miteſcit, atq; diſſipatur;ortus quoq;eſt a frigidę largi-
ore potu,aut nimia lactiſcopia,a magno
hau ſtu ceruiſiæ frigidioris,pręcipue poſt
citationem, frigidis humidiſq; pe-
excer

dibus,aut aliis cauſis flatulentis,iiſq;euidentibus,vt ex præcedētibus didicimus.

PAlpitatio quoq; cordis, quæ παλμὸς Ariſtoteli dicitur,ex eorum numero eſt,quæ a flatulento ſpiritu fiunt, cum per cæcos ductus ille in pericardio ſe inſinuauit : hic exitum non inueniens, vehementi diaſtole & ſyſtole fit moleſtus ;adeo vt dum folliculum cordis extendit & amplificat , ipſum arteriæ motum intercipit. Cum hæc affectio a flatu non ab humore fit,ſic percipiemus: Humor aut multus,aut paucus erit: iſq; craſſarum aut tenuiū partium. Multus & craſſarum partium nullomodo per denſam membranā poteſt dilabi , & per habitum corporis in ambiētem aera reſolui. Multus & tenuis humor,tametſi tandem reſolui & exiccari queat , eget tamen longiore mora, nec celeriter influere & diſſipari , exacerbare & iterum conquieſcere poteſt : argumentum maxime efficax, palpitationis cauſam flatulentā eſſe ſubſtantiam. Verum ſi hæc tum exigua , tum ſubtilium eſſet partium,facile euaneſceret , nec eam de qua agimus palpitationem efficere valeret.

Palmos.

Non alienum igitur a ratione eſt ſubſtantiam quandam craſſarum partium eſſe, ſpiritum videlicet nebuloſum, quē quod vitalem facultatē opprimat, moleſtet, & grauiter afficiat, nititur cor excutere: ſuoq; calore & agitatione perpetua groſſitiem extenuans diſſipat, deſinitque palpitatio, a crapula, otioſa vita, excandeſcentia, aut nimio ſubitoq; metu tanquam cauſis euidentibus ſeu procatarticis plerunq; genita. Porro longe alia ratio eſt palpitationis, quæ per humores pericardio contentos fit. Perpetua enim eſt, raro præterquam in quiete intermittens; ex motu incrudeſcit, & ad multos annos, imo ſæpe ad mortē vſq; ægrum comitata. Tanta huius vis eſt, vt interdum ſit animaduerſa vicinas coſtas (authore Fernelio) effregiſſe, ſuo loco eas depuliſſe, & arteriam etiam foras dilataſſe, in aneuriſma contracti pugni magnitudine. Altera vero illa quæ a flatibus, moleſta ſane eſt: verum per interualla inuadit, nec vt hæc periculoſa, minimeque ab humorali vulgo interſtincta.

NVlla ſane crebriora grauioraq; ex ventoſo ſpiritu infeſtant ſymptomata, quam quæ ventriculum & colon inteſtinum afficiunt: quorum illud inflatio, hoc vero colicus affectus, ſeu dolor colicus ab affecta parte nominatur: omnes autem ventoſos appellat Hippocrates. Inflationis generatio vitio retentricis & complectentis facultatis prouenit. Nam eis probitas in duobus conſiſtit, cũ videlicet tempus complectendi cibi cum tempore cõcoquẽdi exæquat, ac cum cibos prorſus vndique conſtringit, ita vt nullum locum relinquat inter ventrem & cibos vacuum. Atqui iniuſtũ complectendi tempus, excretio celer, & ciborum in inferiori ventre corruptela conſequuntur. Imbecillum vero ciborũ complexum, modo fluctuationes cum ſonitu ſuccedunt, modo inflationes. Ab his ventriculus miſere contorquetur, & dolores ad dorſum vſq; deſcendunt. Ille enim ſub ſepto tranſuerſo poſitus, & a malo punico initium ducens, leniter in ſiniſtram deflectit: huc enim ſuperior eius pars maxime deuergit, inferior vero magis in dextrã. Poſterior pars vniuer-

Inflatio Ventriculi

ſa ſpinæ inſidet, cum qua ad primam vſque lumborum vertebram adhæreſcens colligatur. Os autem illius nō ſpinæ, ſed diaphragmati, iocinori, cordi, lieni, inteſtinis, aliiſq; partibus communione mēbranarum, neruorum, arteriarum, & venarum connectitur. Vnde fit vt quoties ventriculus a flatuoſis ſpiritibus vehementius diſtenditur, ilico doloris participes maxime fiant illæ partes, quæ diſtenſæ ventriculi parti, mutuo nexu coniunguntur. Quapropter cum poſteriores eius partes potiſſimum a ſpiritu diſtenduntur, tum maxime dolor, ſpinæ, lumbiſque inſiſtit, & renum regionem acutiſſime inuadit, non aliter, quam ſi difficillima nephritide quis excruciaretur: quæ res non modo plebi, verumetiam doctiſſimis in arte magiſtris, interdum imponit, vt exiſtiment renum calculo laborare eos, qui a diſtrahente flatu male habent. Verum id potiſſime vſu venit iis, qui a dolore colico exagitantur, vt paulo poſt dicetur. Quum partes eius ſuperiores extenduntur, dolor iuxta totum thoracem irruit, & maxime verſus regio-

nem ſiniſtram: cum inferiores, tum aliquando magis in regione hepatis, interdum autem in oppoſito latere afficit. Sin autem orificium eius apprime diducat, gula conuellitur, & veluti manibus quibusdam contrahitur, vt baculum videri infixum, infirmi clamitent, & vix quicquam inglutire valeant. Quēadmodum enim plenitudo (teſte Galeno) corpora repletorum in latum & profundum extendit, ſed longitudinem abbreuiat; ſic in ventriculi inflatione vſu venit, vt is ex flatuum copia in latum & profundum diſtentus, longitudinem abbreuiet, ac gulam conuellat. Quippe Eraſiſtratus quoque muſculos, ſi ſpiritu impleantur, in latitudine augeri, in longitudine vero minui, atque ob id etiam retrahi dicit. Porro cum prę copia multitudineque totus diſtenditur, omni ex parte diſtenſionis ſentitur effectus: & quod diaphragma comprimatur (reſpirationis enim organum eſt) ab inflati vētriculi mole, difficilis fit ſpiratio: adeoq. hęc inflatio nonnunquam increſcit, vt tumorem quendam iuxta os ventriculi efficiat. Leuātur excrementis infer-

Lib. 6. Aph. 39.

ne ſubeuntibus, & flatibus ſiue per ructum, ſiue per aluum excluſis.

Colica

COlicus dolor nunc venit ordine explicandus, qui non vnam dumtaxat ventris regionem in omnibus occupat, ſed prout ſunt fluxus coli inteſtini, ita ille ſedem mutat, nunc latus dextrum, nunc ſiniſtrum, interdum renes, interdũ vmbilici regionem, nonnũquam etiam totum ventrem inferiorem, ſed vt plurimum latus ſiniſtrum excrucians. Colon enim inteſtinum craſſum a dextra ilium regione per iecoris caua ad ſiniſtrũ hypochondrium ſuper ventriculi fundum fertur, lieniq; accumbit. Hinc in poſteriora demergẽs, reni ſiniſtro cohęret. Qua itaq; in parte (vt ſuperius de ventriculi ſitu monuimus) flatuoſus Spiritus ingruit potiſſimum, ibi vehementiſſimus dolor moleſtat. Cum autem vna in parte fixus hęret, a cruda frigidaque pituita inteſtini anfractibus concluſa excitatur; nec tum penitus intercluditur ſpiritus. Pituita hæc inteſtinum corradit, dilacerat, atq; in id plerumq; perforantis terebelli more ſe infigit: vnde alte etiam dolor excruciat. Nauſeam interdum & pituitæ

tuitæ vomitionem excitat, neq; ructibus neq; flatibus emiſſis conſopitur. Atqui flatulentus dolor, ſi abſque pituita ſolus infeſtat, vagus eſt & inſtabilis, in variaſq; ventris partes ſe contorquet, ſæpe obmurmurat, & arcte cōcluſus, nec ab ore, nec ab aluo erumpit. Hic in colo plurimus gigni cumulariq; ſolet: nam aliud nō condidit natura excipiendi flatus receptaculum, quem tamē prima ventriculi concoctio maxime progenuit. in hoc itaq; inteſtino flatus cōgeritur magno ſenſu doloris, pręſertim cū propter obſtructionem a lenta craſſaq; pituita, aut a duris reſiccatiſq; fęcibus erumpere nequit. Fæces multas ob cauſas indurantur, potiſſimum autem ex quiete, & ſeceſſus cohibendi conatu. Quies enim ita cōtinet, quemadmodum motus excernit: quies ſic aſtringit, vt motus aperit: quies res immotas, motio vero mobiles efficit. Quocirca motus vomitū, deiectionem, ſudores, vrinam, naturaleſq; expulſiones omnes citat & propellit: quies eadem retardat. Multas audias conquerentes mulierculas, quod tertio aut quarto quolibet die excre-

menta excernant, alias quinto aut ſexto, nonnullas etiam, quæ ante octauum diem nullum alui beneficium habeant. Deſides enim ſunt plerumq;, & inertes frigidæ, voraces, & obſtructæ. vnde nec motus propellit, nec exigua bilis ob frigiditatem inteſtina ad expulſionem irritat. Copioſioris autem bilis in inteſtina tranſitum, obſtructi meatus impediunt, & ordo peruerſus in cibo ſumendo aluum conſtringit. Haud mirum igitur ſi mulierculæ viris frequentius flatuoſis affectibus diuexentur. Cohibitio excrementorum non modo colicũ affectum, ſed alia quędã grauiſſima ingenerat accidentia. Stercora enim a natura ſecreta, deorſum pulſa, & ob inſitã grauitatẽ in infimas partes dilapſa: ſi propter ciuilia negotia, vrgẽtem ve quampiam cauſam detenta regurgitent, neceſſario obdureſcunt, quod diutius cohibita, caloris vi continenter ſicceſcãt, ab hiſq; nonnihil ſucci ſemper exugãt meſenterij venę, nõ ſolum in tenuia, ſed & in craſſiora inteſtina diſtributę. Sic ſenſim illa pręter modum exiccata, tranſitum & ſibi, & flatib. tollunt, & miſerabilem interdũ ileũ ad-

ſerunt,atqui hunc raro, frequenter autẽ colicum affectũ, & alia quędã ſymptomata longe grauiſſima. Cum nãq; flatus coarctatus elabi nequit, ex imo ventre toto anfractu in ventriculum reſiliens, eũ quidem diſtendit, & annexũ ſibi ſtomachum conuellit & contrahit, adeo profecto, vt nec inglutire quicquã vixq; verbum proloqui infirmi poſſint. Deinceps, quandoquidẽ eius oſculum acutiſſime ſentit, magno dolore ex conuulſione afficitur, vnde externarum partiũ calor intro commeat, quo quod naturæ noxium eſt, iunctis viribus expellat. Illæ ſuo deſtitutæ calore rigẽt, nerui contrahuntur, crura vacillant, & incredibilem anguſtiam pernicioſus hic hoſtis parit. Hæc tam immania, & multis nominib. execranda ſymptomata, quis credat ab vnico flatu in corpore humano procreari poſſe? Atqui ita ſe rem habere ego ſana conſcientia teſtari poſſum multiplici edoctus experientia & obſeruatione: ceterum plenius quæ dico intelliget quicunque exacto trutino rem põderabit. Excrementa quæ in hoc affectu colico inferne deiiciuntur, flatibus plena

videntur, quod ita cognoſcitur, ſi ſuper aquã natent, ac bubulo ſtercori aſſimilentur: cruditas interdum, nauſea & vomitus præceſſerunt. Quippe talis hic affectus, eſt qui magnam affinitatem cum renũ calculo vreteris impacto habeat, & difficulter hic ab illo diſcerni queat, quo fit vt ne dum vulgares medici, verũ Galenus ipſe in propria perſona deceptus fuerit, exiſtimans renum calculo ſe affligi, cum ex dolore colico male haberet, nec prius ab hoc errore ſeſe vindicauit, quam iniecto rutaceo oleo pituitam vitream excreuiſſet, & ab omni mox moleſtia liber euaſit.

Melancholia hypochondriaca.

ORationis noſtræ ſeries videtur expoſtulare, prædictis Melancholiã flatuoſam, quã Myrachiam Arabes appellant, ſubnectere. Hæc quidem tribus de cauſis generatur, nimirum a iecoris & venarum meſeraicarũ φλογώσι: a vẽtriculi frigidiore: & crudo craſſoq; humore pituitoſo, aut melancholico. Vẽtriculus enim frigidus plus ſatis appetit, & parum concoquere poteſt. Cibus autem crudior craſſiorq;, ante perfectã concoctionem a iecore calidiore trahi-

tur. Vnde cum ſecūda concoctio, quæ in iecore celebratur, non corrigat prioris defectum, fit vt meſenterij venæ a chyli craſſitie obſtruantur, ingenſq; copia crudæ materiæ in iis colligatur. Hæc a calore præternaturali ebullit, & cōtumaces flatus exhalat, qui non facile diſcutiuntur: rugitus deinde, ructus, & murmura concitantur. Porro (ait Galenus ex Dioclis ſententia) alius oritur a ventriculo morbus, qui ſupra propoſitis non diſſimilis eſt, nominaturque ab aliis melancholicus, ab aliis flatuoſus, quem ſumpto cibo maxime coctu difficili & cauſtico, ſputum humidum, idemq; multum comitatur. Item ructus acidus, flatus, æſtus in præcordiis, fluctuatio, non ilico ſed quum retinuerint, interdum quoq; ventriculi vehementes dolores, qui nō nullis ad dorſum vſq; procedunt, concoctis deinde cibis quieſcunt, mox aliis ingeſtis, rurſus eadem reuertuntur accidentia. Vbi autem acceſſio ipſa inuadit, ventriculus & hypochōdria miſere cruciantur, neque ab illis cruciatibus liberantur, prius quā vomitu aut excretione per aluum, noxia materia flatibus hy-

pochondria extendēs excludatur. Quod equidem ſurſum vomitu exiicitur, quia a ventriculo debili & frigido effunditur: pituitoſum eſt, viſcidum, crudū, album, & interdum ſaporis expers, interdum autem ſubacidum, vel ex corruptione ſubamarum. Quod per inferna diſcedit, nigricans plane & flatulentum atque omnino melācholiæ ſoboles, ex hac nonnunquam ater & obſcurus vapor in cerebrum exhalans caput diuerberat atq; percellit, turbulenta inſomnia infert, & mentem perturbans deliria quandoque efficit.

Hepatis obstructio tumor, dolor.

VEntoſitas hæc in corporis cauitatibus, inteſtinis videlicet & ventriculo, vt auditū eſt, collecta cōcluſaq;, ſi exitū naturalē non reperiat, impetu ſibi viā muniens, per cæcos conniuenteſq; ductus in iecur ambientes membranas venaſq; capillares per caua & gibba hepatis diſſeminatas effunditur, eaſq; prorſus in modū ſchirri obſidet: ſine ſchirro tamē tātopere diſtēdit, vt magnus plerūq; tumor circa iecoris regionē ſe efferat, iiſdēq; notis atq; ſchirrus ſeſe proferat, niſi quod minus renititur, & breuiori tem-

pore genitus eſt: Etenim tantus plerumq; apparet, vt vniuerſum hypochondriũ repleat, neq; coſtarum extrema percipi, neq; ſub hæc digiti infigi poſſint, neq; iecoris vlla figura ſit aut circumſcriptio, cognoſcitur hunc a vaporoſi & craſſi flatus multitudine factum: quod non grauitatis ſolum, ſed etiam diſtentionis ſenſum, vt Galeno placet, ægri percipiant. *lib. 5. de loc. affect.*

HAud diſſimiliter Splen nonnunquam ex flatuoſo ſpiritu diſtenditur, Tralliano teſte. Quemadmodum (inquit) in ceteris pleriſq; internis corporis partibus interdum flatulentorum ſpirituum collectio, ita & in liene flatus quaſiq; venti ſæpe oritur excitatio, quã ἐμπνευμάτωσιν Græci nominãt, & incrementum quandoq; tumori præter naturam ſimile, quod eadem gens ἐμφύσημα cognominat. Hic tumor inſtar ſcirri renititur, a ſchirro tamen eum interſtingues, quod in ſchirro cum renitentia, tumore, ac duritie, grauitas cum pondere in ſiniſtro hypochondrio percipiatur. In tumore autem ex flatu tactui tumor nõ pertinaciter reſiſtit, imo impoſita manu

ad tactum cedit, & lien punctionem tẽſionemq; experietur, citra tamen pondus ac grauitatem, & breuiori tempore factus eſt. Hos vtriuſq; viſceris tumores a flatu fieri cum minime medicorũ vulgus intelligat, deus bone, quam cæco iudicio curã huius mali ignorata cauſa aggrediuntur! iuleporum ibi tum myriades præſcribuntur; curatio, quo largius ſtipendium emungant, in longum protrahitur, ac demũ cum plus damni (quis enim caligantibus oculis, quod rectum eſt videat?) quam commodi dederunt, ſchirrum vel iecoris, vel lienis eſſe magna conſtantia affirmant, eumq; ex Galeni ſententia immedicabilem. Verũ hæc ignorantia turpiter ſuum illudit authorẽ: flatus enim hic nebuloſus viſceri impactus cum temporis ſucceſſu a calore natiuo, fomentis, inedia, extenuante calefacienteue victus ratione a mulierculis, empiriciſq; adminiſtratis diſcutiatur, euaneſcit hypochondrij tumor, dolor omnis cõſopitus ſilet, & huiuſmodi doctores cũ ſua falſa perſuaſione ignominioſe reiiciuntur. Exhortor itaq; ingenuos veritatis amatores, eoſq; qui be-

ne ſuo nomini & famæ conſultũ volũt, vt penitius rem introſpiciant, & ſedulo addiſcant, a flatibus exorta ſymptomata, ab aliorum morborum ſymptomatibus internoſcere. Difficile quidẽ id, ſed pulcherrimum quoq; multam laudem doctis conciliet. Multi namq; ægri, veluti iamiam acturi animam prę nimio dolore & moleſtia, non aliunde quam ex flatuoſo ſpiritu procreatis, miſere exclamant. Qui ſi corruptus fuerit, a materia putrida & venenoſa excitatus, & cum dolore intolerabili per mẽbra diſcurrat: tum viro in artis operibus bene exercitato opus eſt, qui & flatus moleſtantes, & materiam vnde eleuentur, cognoſcat, hocque genus mali ab aliis morbis diſcernat.

HVc accedit Hydrops Tympanites, qui fit cum in abdominis mẽbranas magnis cruciatibus ſeſe flatus inferunt, ac demum varie impulſi in abdominis ſpatium penetrant, de hoc loquitur Hipp. Quibus tormina adſunt, & circa vmbilicum cruciatus & lumborũ dolor, qui nec medicamẽto, aut vllo alio modo ſolui poteſt, in hydropem ſiccum

Tympanites.

Aph. 2. Sect. 4.

firmatur. Hydropis (vt hoc obiter dicã) tres ſunt ſpecies: λευκοφλεγματία quæ & anaſarca, aſcites, & tympanites, quem hydropem ſiccum appellauit Hippocrates. Anaſarca eſt molis corporeæ incrementum præter naturã, cuius initio pedes tument, potiſſimum circa veſperũ, ab exercitatione, aut cũ decliues diu pedes pepẽderint, in hiſq; digiti manet impreſſum veſtigiũ, corpus æqualiter molle, laxum & pallidum exiſtit: diſſolutum & quaſi eneruatum minimo labore frangitur, nec alia ratione a phlegmatica cachexia, quæ virginibus peculiaris eſt, ac ob id virgineus, ſeu amatorius morbus appellatur, differt; quam ſecundum magis & minus, quodq; illa tumidam habeat corporis vitiatã molem: hæc vero ſine excedente magnitudine exanguis palleſcit, cor ad corporis motum contremiſcit, in aſcenſu ſcalarum dyſpnœa corripitur ægra, & corpus graue & iners cum difficultate mouetur. Vna & eadem vtriuſq; cauſa, immodica nimirum iecoris atque venarum refrigeratio. Iecore refrigerato, αἱμάτωσις, hoc eſt ſanguificatio vitiatur,

vnde ſanguis crudus & aquoſus relinquitur, qui ſi in venã cauã trãſumptus vſquequaque per corpus diſpergatur, fit, vt dixi, anaiarca. Si vero nimia aquæ copia iecur opprimẽs ambiẽtem ipſum extrinſecus tunicam diſtendat, hydatides, ideſt veſiculas efficit. Hæ ſiquando acciderit vt rumpantur, in eam peritonei regionem aqua effundetur, quæ eſt ſecundum epigaſtrium, fitque ſecunda hydropiſis ſpecies, quæ ab vtris ſimilitudine aſcites dicitur. Hac venter ſenſim impletur, dum diuulſa laxataue cute ſupra modum intumeſcat, corpus vero reliquum marceſcit ac liqueſcit. Si abdomen impellitur, aut corpus in alterum latus prouoluitur, fluctuantis humoris ſonus obauditur. Atqui in tympanite non fluctuatio humoris, ſed ſonitus qualem tympana edunt percuſſo vngue, hypogaſtrio ſentitur. Nam & in his, inquit Gal. per circumtenſam pellem contentus aer verberatur, quemadmodum in hoc morbi genere per mediã cutim, qui in profundo eſt, flatus percutitur. Omnium harum hydropis ſpecierum cauſa frigiditas viſceris eſt & venarum, a ma-

Aſcites

Aph. 12. Sect. 4.

iore tamē frigiditate aquoſus hydrops, quem Aſciten vocant, generari videtur. A minore vero tympanias, neq; enim mutari in aerē flatuoſum humiditas ſine aliquo calore poteſt. Ingens etiam ſitis omnem ſequitur hydropiſin, maxime autem aſciten & tympaniten: illum quidem, quod humor, qui in locis detinetur, ſalſus eſt & putrefactus: hunc autem partim ob eandem rationem, quod ſincerus flatus ſub abdomine citra humoris permiſtionem nunquam ſit animaduerſus: partim etiam quod flatus ventriculi humiditatem abſorbeat: qua abſumpta, is inareſcit, potuſq; irrigationem deſiderat. Hoc certe deſiderium ſitis eſt. Eſt enim ſitis appetitus humidi aut frigidi, aut vtriuſq;. In externis etiā videmus, quod quamuis ſit terra a pluuia quam maxime humectata: ventus tamen ſuperueniens, miris modis, breuiſſimoque tempore eam exiccat, & humorem abſumit. Idem in corpore euenire, nulli dubium eſſe exiſtimo. videmus enim tympaniticos maiori ſiti quā apud inferos Tantalum extorqueri: adeo vt quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ,

Sitis Hydropicorum cauſſa.

vtq;feroci quem ſecum in intimis viſceribus conferunt hoſti ſatisfaciant, ſeſe ipſi in interitũ præcipites dãt, nimioq; potu ſtrangulant in iis etiam qui coli cruciatibus diuexantur, ſitis ob eandem cauſam infeſtat.

Genitalia etiam membra eadem ex flatu peſtis ſubinde male habet. Vterus enim copia eius quandoq; tumet & diſtenditur, qui aut per cæcos ductus in vacuam ipſius capacitatem irrepſit, aut ædito partu ſe inſinuauit conniuente oſtiolo, aut poſt vſum balnei aut ſtuphæ, aut qua alia de cauſa illic genitus coarctatur. Cõcluſus valde vterũ diſtendit. Diſtenſio vero in ſuperiori eius parte, ſi maxime fiat, eo delata vi flatuũ, iam aſcendere putatur, & ad ſeptũ tranſuerſum ventriculumq; inſtar globi cuiuſdã efferri, eumq; grauiter opprimere. Hinc ſæpe vel manibus in pugnum deductis, vel alio quouis duriore ſolidioreue corpore propulſus in propriam ſedẽ deprimitur. Si autem alterutrũ latus vteri præ ceteris diſtendat: iam conuulſione quadam is in dextrum, aut ſiniſtrum inguẽ contorquetur, pecten, imuſq; venter in-

Vtero inflatio.

Vteri aſcenſus

flatur, ac dolore concutitur, interdum ſonitu toto corpore obauditur, ructus eduntur, ſtrepitus circa ventrem, lūborũ tumores, dolores circa renes & coxas fiunt, ventre digitis impulſo, tympani ſonus editur, ac flatus e ceruice manifeſto prorumpit, flatuoſam perfrigerationem hanc Soranus eſſe dicebat.

QVemadmodum vterum mulieris flatus interdum ſubit, ſic & in viri ſcrotum cum primis ingreditur, idq; cũ morbo, vel ſine eo, ſed per ſe morbus, quippe cum morbo tympanite vidi nō-nũquam virorum ſcrota ad magnitudinem veſicæ porcinæ inflatæ extenſa eſſe. Flatus enim, qui prius ſolas abdominis membranas, & peritoneũ occupabat, iã copia & multitudine inauctus, ampliuſq; ob id ſpatiũ deſiderans, eas diſrumpit, tranſitumq; ſibi in laxam ſcroti cauitatẽ parit, neq; hãc dumtaxat partem, verum vniuerſum corpus replet. Sine morbo autem virorum plerumq;, vt plurimum autem infantium recens natorum, ſcrota diſtendit, eamq; efficit herniæ ſpeciẽ quam pneumatocelen, hoc eſt, ventoſam herniam Græci appellant, fitq; non

vno eodemq;modo. Quippe flatuoſus ſpiritus cum in communem teſticulos ambientem membranam ὀσχεὸν Grȩcis, folliculū genitalem Latinis dictam ingruit: totum ſcrotum æqualiter inflat. Cum vero inter vtriuſuis teſticuli tunicas erythroidem nimirum & darton ſe inſinuat: alterum latus altero tumidius reddit. Tumor ex inflatione pellucidus apparet, nec vt in hydrocele grauis cognoſcitur: ſi omni luce ſecluſa, cerea candela ex oppoſita parte conſpectui obiiciatur.

PRiapiſmus colis ſymptoma geminā habet cauſam, vnam arteriarū, quȩ in pudendum inſeruntur impletionem: alteram flatuoſi ſpiritus in fiſtuloſo neruo generationem. Hic ſpiritus neruum affatim adimplens,& in tumorem diſtēdens,penem arrigit, & ſine veneris deſiderio,tentiginem efficit. Eſt,inquit Gal. & alius inflationis affectus Priapiſmus dictus, quo detentis vel inuitis pudendum arrigitur. Etenim cum neruus propriam colis ſubſtātiam conſtituens,natura cauernoſus exiſtat, vbi halituoſo ſpiritu impletur eiuſmodi affectū exci-

Priapiſmus

Meth. med. 12.

tat:& iterum, Priapiſmus eſt auctio colis permanens in longitudinem atq; orbẽ tumefacti, citra rei venereæ appetẽtiã, cuius affectionis cauſa, eſt flatulentus ſpiritus. Quod enim a ſpiritu in tumorem attollatur, manifeſtũ eſt iis, qui celeritatem eius cum intumeſcit, & quum iterum reſidet perpendunt: quippe nullus humor tam celerem in alterutram partem mutationem efficere poteſt. Verum huic ex flatuoſo ſpiritu Priapiſmo præcedit palpitatio: illi vero qui fit ex dilatatione arteriarum, minime.

HActenus quomodo flatulentus ſpiritus internas corporis viſcerumq; cauitates adimpleat, quæq; in iis mala generet, abunde explicuimus. Supereſt paucis, quæ in corporis habitu proferat ſymptomata dicamus. Is enim vt eſt tenuiſſimarum partium ſubſtantia, ita nõ modo quod vacuum eſt, replet, ſed continuitatem partium diſſoluit, membranas a ſeſe, & ab oſſibus diuellit, & celeri motu nõ hanc aut illam dumtaxat partem, ſed totũ corpus magno cum dolore, veluti ſi ſpiculum infigeretur, peruadit. Quandoque etiam in modum auræ

frigi-

frigidæ, ſenſiles neruoſasque partes ſine magno dolore afficit: ceterum hic ſpiritus, vt paucus eſt & tenuiſſimus, ita facile a calore natiuo fomentisue externis euaneſcit. Difficilius autem cum craſſior & copioſior ſub cute vel membranis, quæ oſſibus circundantur, ſe inſinuat, eaſque in tumorem, qui Inflatio, vulgo autem Apoſtema ventoſum nominatur, extendit. Apoſtema ventoſum Hanc Ga l'ab ędemate diſtinguit, quod hoc ex pituitoſo ſucco ortum habeat, ac proinde nobis prementibus cedat, digitique admodū alte in illud deſcendant. Inflatio vero fiat, ex flatulento ſpiritu, alias ſub cute, alias ſub membranis, quæ oſſa integunt, aliquando autem ſub muſculis collecto. Hæc digitis preſſa veſtigiū minime retinet, ſonitūque tympani percuſſa edit. Eſt quando tumorem quidem ille non Palpitatio excitat, ſed ſub cute conſiſtens, ac ob eius denſitatem non valens exhalare, palpitat: vitam ignara plebs hanc palpitationem nominat. Scite admodū hanc rē Ioannes Langius depingit in quadam *Lib. Epi. Epiſt. 8.* Epiſtola ſua, qua chirurgorum quorūdam arrogantiam & inſcitiam damnat.

Chirurgorum arrogantia & inſcitia.

Aliam, inquit, æque temerariam chirurgicorum inſcitiam te celare nō poſſum, qui cum muſculos temporum, frontis, genæ, aut maxillarum ab intercutaneo aere diſtentos contremiſcere vident, illic mox animam hominis & vitā latere, veluti ergaſtulo incluſā, proclamant, pariter quoq;, quamuis nulla corporis per pharmaca euacuatio ſit, magis ipſa phlebotomia periculi expers: attamen cum ſecta vena ſanguinem in lebete ob flatulentum ſpiritum incluſum contremiſcere vident, vitam cum ſanguine effuſam ſuſpicantur, quem ob id repente, antequam tepeſcat, patientem abſorbere cogunt. O audax chirurgorum ignorantia, qui neſciunt aerē vitalis & animalis ſpiritus fomentum, non modo per arterias cerebri, pulmonis, & cordis cauernas, ſed per occultam inſpirationem & poros, vniuerſos corporis artus perreptare, qui ob arteriarum cū venis coadſtomoſin, ſāguini quoq; permiſcetur. Quem etiam ex flatulento & viſcoſco humore nō in muſculis modo, & omnibus quæ diſtendi poſſunt membris (nempe ventriculo, inteſtinis, ioci-

nore, liene, ſepto tranſuerſo, ac in ipſo puerperarum vtero) crebro generari accidit, cuius tremulo motu agitata matrix, fœtũ in vtero moueri puerperæ falſo ſuſpicãtur. Hũc, inquam, tremulum nõ in muſculis dumtaxat & aliis membris, ſed præcipue in corde, motum Græci palmum appellant. Et certe ſi magna paruis conferre fas eſt, quemadmodum ventus viſceribus terræ incluſus, erupturus tremulo motu terram conquaſſat, ſic aer flatulẽtus muſculorum aliarumque corporis partiũ, quæ diſtẽdi poſſunt velamine circumſeptus, eas palmo concutit, donec per diſtentũ velamen eruperit. Hactenus Lãgius. cuius ſententiã cõfirmat Galenus in hæc verba ſcribẽs: Id genus ſpiritus craſſus ac vaporoſus, nonnunquam quidem ſub membranis, quæ oſſa integunt, collectus detinetur, nonnunquam ſub peritoneo, aliquando vero in inteſtinis & ventre: interdum & ſub membranis muſculos circumdãtibus, queãdmodum & ſub membranoſis tendonibus: nonnunquam autem & in ſpatiis, quæ cogitatione percipiuntur tum muſculorum, tum aliarũ corporis

Palmus

Lib. 2. de Art. curat. ad Glauc.

partium.quarum naturam ex anatomicis adminiſtrationibus didiciſti,ad hunc quidem modum & muſculus ipſe ſpiritu impletur. Admirabilis itaque flatuũ vis & poteſtas eſt,quæ tanquam fulmẽ quoddam per inſenſiles ductus in abſtruſas quasque latebras ſe inſinuãs, vel oſſa ipſa peruadit,& in intimis medullis magna moleſtia afficit, inter os etiam & perioſtion ſe ingerens, hoc ab illo magno conatu diuellit,diducitque: & diſtenſionis ſenſum ingenti dolore affert. Hinc multorum querimoniæ de crurum tibiarumque vehemẽtibus per interualla moleſtiis, cum nulla tamen extrinſecus intemperies, nullus tumor, nullus denique dum premitur (niſi eius magna copia collecta ibidẽ ſit) dolor afficit. Hactenus de Symptomatibus: nũc de prognoſticis flatuũ aliquid dicamus.

De prognoſticis Flatuum. Caput II.

OMnes a flatibus excitati affectus difficiles ſunt quocunque loco, ſi exitus iis negetur,ſubſiſtant. Hi nanque quo denſiores,& quauis in parte compactiores conſederint, eo diutius ibidẽ remorantur, & difficiliora periculoſio-

raque ſymptomata excitãt. Cum enim partes diuellendo a ſeſe diſtrahunt, dolorem mouent: dolor humorum defluxus prouocat, humor autem in fiſſuras diuulſorum corporũ ſenſim ſubintrans, ibi tumorem efficit: ex tumore fit cutis, & membranarum diſtenſio & coarctatio: inde cum ſanguis minime diffletur, corruptio & caloris præter naturã auctio. Hic tumor ſi durus ſit renitens, ruber & pulſans, inflmmatio: ſi vero albus tactui cedens, & a cõtactu foueam retinens, œdema. Si autem albus, renitens, & pellucidus conſpiciatur, Inflatio dicitur. Interdum & Hydropẽ Spiritus efficit. Cum ait Hipp. ipſi flatus carnes pergreſſi, meatus corporis rarefecerint, ſequitur poſt flatum humiditas, cui viam iam antea aer præſtrauit. Irriguo itaque corpore ab humiditate facto, liquefiunt carnes, humoresque in ſuras deſcendunt, atque morbus fit, qui aqua inter cutem appellatur. Omnibus his affectibus a ſpiritu flatuoſo excitatis, maximo periculo ſubijciuntur illi, quorum in corporibus diu perdurauerit. Quare recte habet Aphoriſmus ille: Quibus Inflãmatio Oedema Inflatio *lib. de Flatib.*

tormina adiunt, & circa vmbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neq; medicamento, neque aliter ſoluitur, in ſiccum Hydropem firmatur. Medicamentis autem, neque aliis remediis ſoluũtur, quod earum partium habitualis quædam intemperies eſt, qua perſeuerante Tympanites fit, omnium ſpecierum Hydropis pernicioſiſſima, quam, ſaltem confirmatam, nunquam a quoquam percuratam vidi. Si itaque pernicioſus eſt, imo lethalis tympanites, quod flatus eum excitantes nullis remediis propter fouentem cauſam cedant: merito dixit Hippocrates: Abſque ſono & crepitu flatum exire, maxime ſalutare eſſe. præſtare tamen cum ſono prodire, quam ibi eum reuolui, quod ex tali reuolutione vehemẽtiſſimi dolores cruciatusque conſequantur. Veruntamẽ ſi qui verecundia moti citius cũ ſani ſunt mortem oppetere velint, quam ventris edere crepitum: nihilominus tamẽ multis audiẽtibus id fecerint: alterum duorum ſcire oportet, vel delirare eos, vel dolore affligi. Si vero de induſtria crepitũ emittat, nihil mali pręſagit, niſi quod

Tympanites incurabilis.

Lib. 2. prognoſt.

etiam tum ſine ſono elabi melius ſit. So nus enim aut ſpiritus flatuoſi copiam, aut vaſorum anguſtiam deſignat, qui tamē in recentibus præcordiorum tumoribus & doloribus obauditur non malus. Dolores teſte Hipp. tumoreſq; præcordiorum qui recentes ſunt & ſine inflammatione: ſonus in præcordiis excitatus diſſoluit, magisque ſi cum ſtercore & vrina exceſſit. Sin autē ipſe nō excesserit: at prodeſt tamen ad inferiores partes euolutus. Hos præcordiorum recentes tumores, quod a ſolo flatu diſtēdātur, diſſolui dixit ſonitu in pręcordiis excitato, is enim cum flatus indiciū ſit, eūque humori & ſolido corpori permixtum eſſe oſtēdat, nihil niſi vtile quiddā ſignificare poteſt, nempe, aut flatum, cū humore, cui permixtus eſt per ſedē excerni, aut ſi nō excernatur, ſaltem ad inferiores aliquas partes deſcendere, ac ſic ab vtroq; ſymptomate, dolore & tumore infirmum liberare. Hanc ſuam ſentētiam alio loco confirmat idem Hippocrates dicens: Quibus elata Hypochōdria murmurāt lumborum ſuperuenientē dolore, aluus humectatur, niſi infer

Li .2. prognoſt.

Aph. 73. lib. 4.

ne flatus erumpant, aut vrinæ multitudo prodeat. Hypochondria murmurare, nihil aliud eſt, quam in ipſis ſonitum a flatu excitari, eademque efferri: eſt tumida turgidaque fieri. Sed quomodocunque fiat, ſiue flatus ſeorſim, diſtributo humore per ſedem erumpat, ſiue cũ mediocri humore permiſtus deorſum vergat: prorſus ſine periculo eſt, & breui ſpatio a tumore & dolore liberat. Quippe lien & iecur bina viſcera in hypochondriis ſita, ſi vehementer doleant, id fit vel propter fortem inflammationẽ, vel ob ſpiritum flatuoſum; ſi ob hunc ſuperueniente febre doloris fit ſolutio. Quibus ait Hipp. iecur vehementer dolet, iis febris ſuperueniens ſoluit dolorem: febrili nempe calore flatum diſcutiente. Inflammationi autem non ſuperuenit febris, ſed ab initio adeſt: nec dolorem ſoluit; ſed multo eum reddit auctiorem. Porro febrilis calor quod flatum diſcutiat, vel ex eo patet, quod qui auruginoſi ſunt, ex flatu paſſionibus raro corripiãtur, ob eam cauſam, quod calida eorum conſtitutio ſit, dicente Hippocrate: Auruginoſi non multum

Hypochondria murmurare.

Aph. 52. li. 7.

Aph. 78. lib. 5.

ſunt ventoſi. Calida namque huiuſmodi corporum diſpoſitio, vtpote bilioſa haud patitur flatus accumulari, eoſque dominium exercere, ſed ilico reſoluit & cõficit. Phlegmaticis vero, & qui humido & frigido ventriculo ſunt, item & ſanguineis admodum ſunt familiares, facilisque his in colicum dolorem prolapſus. Quod autem colici dolores vehemẽtiſſimi maius periculum adferãt, quam mitiores; & omnimoda excremẽtorum & flatuum retentio, horumq; in vna coli parte fixa collectio difficilior ſit, quam ſi vagabũdi per omnia diſcurrant, lippis & tonſoribus, nedum medicis, notiſſimum eſſe exiſtimo. Quare etiam minus aderit periculi, cum per iniecta clyſmata flatus elicitur, recrementa deiiciuntur, indeque leuetur dolor, quam ſi nihil horum eueniat. Atqui delirium, contractio neruorum, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, ſudor frigidus, vomitus continuus, omnimoda fæcum retentio, ſi a flatibus excitentur (quod fit dum hi a venenata materia originem ſumunt) lethalis morbus eſt, & horribili conuoluulo in-

tereũt miſeri. Optimum itaque eſt corpus a flatibus prorſus liberum eſſe, aut ſaltem eos facile diſcuti. id quidem haud fieri poteſt, niſi ſedula præcautione, quam prophylacticen Græci appellant, bona victus ratio in ſex rebus non naturalibus ſita inſtituatur.

De victus ratione in flatibus obſeruanda. Cap. 12.

Victus ratio. IN victus ratione probe inſtituenda, ne flatus in corpore generentur, aut, ſi geniti ſint, cito diſcutiantur: quatuor veniunt obſeruanda iis potiſſimum, qui eorum generationi obnoxium corpus ſortiti ſunt: Ordo, Modus, Tempus, & Subſtantia.

Ordo. Ordo in eo conſiſtit, ne prãdium aut cœnam a poculis incipiant: aut ilico poſt bolum vnum aut alterum (qui deprauatus mos apud multos inualuit) magnum hauſtum ebibant. Verum tum demum moderata potio conuenit, cum magna cibi pars præaſſumpta fuit. Liquida deinde præcedãt durioribus, laxantia aſtringentibus: & quæ facilis concoctionis ſunt, iis, quæ conficiuntur moleſtius.

Modus. Modus etiam obſeruandus eſt, ne videlicet maior cibi quã-

titas aſſumatur,quam ventriculus ſine difficultate ſuperare poſſit:quod fiet, ſi cum aliquali edendi deſiderio a menſa diſcedatur nec copioſior potus ingeratur,quam ſiti ſedandæ,& deducẽdo alimento conueniat ; alioqui corpus tum cibi, tum potus ſaburra prægrauatum, ad vitæ munia redditur ineptius, & calor natiuus opprimitur. Nonnulli ſane aqualiculi, quorum venter ſeſquipede proſtat,nũquam ſatisfactum appetitui exiſtimant, niſi vel ſoli etiam integras amphoras pitiſſando abſorpſerint: vel in ſympoſiis ingẽtia vaſa vno ſpiritu exiccarint,nec minus tamen edãt.Alij autem vſque adeo aſſueuerũt potui, vt vel nihil,vel parum admodum ſolidi nutrimenti admittant:quo fit vt in eiuſmodi immoderata humoris ingluuie, fluctuationes & inflationes generentur, impotente ventriculo tantã commode quãtitatem complecti. Temporis item habenda ratio,ne ieiuni,vel inter duos paſtus, vel poſt abſolutam cœnam cũ cubitum conceditur,vel etiam in lecto bibant:tum etiam ne cibo nouo ante prioris digeſtionem infarciantur, vel cõ. Tempus

meſſando in cœna vique prandium, aut in maiorem noctis partẽ cœna protrahatur. Quippe & ab iis quæ ſubſtantiæ Vitanda ſuæ craſſitie, & lentore exiles corporis meatus obſtruunt, cibis nempe craſſum viſcidumque humorẽ generãtibus, difficilis coctionis, carne ſcilicet ſale condita, aut fumo exiccata, ſiue bubula ea ſit, ſiue ſuilla, deinde natura ſua multũ frigidis, acidis, & auſteris ſummo cũ ſtudio abſtinẽdum. Fructus quoque omnes horarij tam crudi quam cocti: verum illi cane peius & angue exibilandi ab vſu ſunt. Item legumina, acetaria, lac, & quæcunque ex lacte fercula fiunt, placentarum item omne genus, pemmata, lagana, rhyemata, itria, taganitæ, & id genus alia, ac cum primis quod ex lacte, libo dulciario vel melle, ouis & butyro in ſartagine aut furno frequenter noſtrates mulierculæ ſolent ad delicias concinnare: tum etiam quod ex caſeo recenti, beta, paſta, ouis & oleo varie fit, Itali tortam nuncupant, euitanda ſunt. Nocẽtiſſima quoque ſunt, quęcunque ex paſta Italis fiunt Turdellæ, Laſaniæ, Maccaroni, Vermiculi, & id

genus permulta ad palatum doctiſſime conſtructa. Craſſiſſimis enim humoribus corpus implent, & calorem natiuũ ita obtundunt ac opprimunt, vt deinceps coquat deterius, inque tantam lenticiem & humiditatem vires ſuas exercere vix queat. Sed hic obijciet mihi quis ex eorum numero, qui hæc in deliciis maximis ęſtimant, quique contemtis meliorib. deteriora gulæ cauſa proſequuntur, permultos auidiſſime illa copioſeque vorare, incommodi tamen nihil aut parum admodum ſentire? Quibus quidem hoc pacto reſpõſum volo: Cõmune eſſe omnibus ex paſta alimentis, craſſos glutinoſoſque humores, & maximam excremẽtorum vim in corpore coaceruare, eius vias obſtruere, flatibusque creandis promptam materiã ſubminiſtrare. Verumtamẽ ſi in bonum & firmum ſtomachum incidant, commodeque (quod vix fieri poſſe iudico) coquantur, & nullam videantur notatu dignam noxam inferre: id non arguit ex ſe innoxia illa eſſe. Certiſſima enim res eſt, vel plebi nota: Ingentia vaſa vno exiccare ſpiritu, humanæ naturæ eſſe

perniciosiſſimum: & cicutæ pharmacum præſentiſſimam Socrati attuliſſe necem. Quare nihil concludit ille, qui propterea has res innoxias, & minime vituperādas probare ſtudet: quod bibaculus quispiam magnos congios euacuet, & anus illa Athenienſis eius cicutæ aſſueuerit, & per conſequens, quod vnus & idem alter ex paſta alimenta cō ficiat. Suauia enim quæ magna cum voluptate aſſumuntur ea arctius complectitur, omnique ex parte appreſſus concludit & retinet ventriculus, atque multo facilius cōcoquit. Quare tria in vniuerſum ſunt, quæ nutrimenta ex ſua quidē natura noxia, efficiant innocentiora mitioraq;: vſus nimirum ſeu conſuetudo, voluptas & ventriculus firmus & validus. nam & euchyma cibaria ventriculū, ſi ea reſpuat, ſubuertunt: & ſaxatiles piſciculi, ſi infirmus is ſit, moleſtiā pariunt. Ceterū illi ſi meis monitis fidē minime habeant, ſaltē moueantur diris Conſtantini Aphric. minis, quibus guloſos illos territat: Non gaudeāt, ait, malo cibo vtentes, quoniā ſi in præſenti nō læduntur, in poſterum percuſſionē non

Tria nutrimenta noxia efficiunt innocentiora.

eua-

euadent. Eodẽ pertinet ciborum varie- Cibor. varietas
tas, quæ nõ mediocriter facit ad cruditates, & innumeros flatus in corpore multiplicãdos: confunduntur enim plurima diuerſiſſimarũ naturarũ, quę dũ inæqualiter cõcoquuntur diſtribuunturq;, neceſſariũ eſt, inde labor caloris innati conſequatur. Piſces deinde cetacei Piſces
pręgrandes, paluſtres, lacuſtres, quiq; in cœnoſo fundo verſãtur, & ex putrilagine omniq; impuritate victitant, deuitãdi. carnes enim eorũ viſcidæ ſunt & glutinoſæ, multumq; excrementitiæ & frigidæ. Abſtinebunt etiam ventoſi a vino plus æquo refrigerato, ab aquæ potu, & a magno hauſtu cereuiſiæ ex frigido penuario depromptæ, idq; potiſſimũ cum corpus externis caloribus æſtuat, aut immoderato exercitio & labore fatiſcit: ab omni deinceps aeris exceſſu, præſertim frigido, qui confertim ventriculi regionem veſtibus haud probe munitam cõtingat; & a pedum immoderata frigiditate & humiditate. Sępe etiã ſaxis diutius inſediſſe, grauiſſima peperit ex flatibus ſymptomata. Otium inſuper & diurna ſomnia inprimis euitabit, vapores

enim

enim eleuant, ſed non diſcutiunt, concoctionem aggrediuntur, ſed non perficiunt. vnde cruda generantur phlegmata, flatuũ vera materialiſque cauſa. Ceterum cum vẽtriculus aut inteſtina in præſentiarum flatuoſo ſpiritu diſtendũtur a cibo & potu tum omnino abſtinere, ac tenuem victum inſtituere, ſobriumq; eſſe præſtat. Etenim cum corpori ſolitus cibus aut ſubducitur, aut ex toto circũciditur, natiuus calor cibi alteratione & concoctione minime implicatus, agilis, vegetuſq; per omnia diffuſus, vbiq; ſuam vim exerit & inualeſcit, ac primum quidem crudos humores concoquit, craſſos attenuat, lentos detergit, flatibus generandis cauſam adimens, per patentes vias eos excludit, generatosq; diſſipat & reſoluit, & quo amplius eleuentur impedit, vtq; ſemel dicã, hæc ſola inedia, ſufficiens medela eſt ad quemcunq; ex cruditate & flatibus affectum diſſipandum. Verum quidem eſt, quod ab iis ipſis cibi parſimonia extenuatis, in vacuo corpore multo maior moleſtia ex fluxu & refluxu ſubnaſcatur. Atqui haud diuturnũ, hoc eſt, pro-

Victus tenuis.

pediem

pediem enim erupturi tum ſunt, & ab omni dolore infirmos liberaturi, multo tamen felicius id eueniet, ſi ab exercitio non omnino alieni fuerint. Hippocratis enim doctrina eſt, hanc noſtram ſententiam comprobans, digna ſane quæ aureis characteribus ſingulorum foribus inſcribatur: Non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Porro exercitiorũ multa genera recenſet Galenus, luctam, pãcratium, pugillatũ, curſum, & id genus plura, quæ hic explicare præter inſtitutum præterq; rationem foret. Hoc vnum nobis ſufficiat, quod moderata corporis exercitatio ſiue per pilam palmariam in ſpheriſteriis, ſiue per dimicationem, curſum, obambulationes, aut quouis alio modo, ieiuno ſtomacho, vacuoque excrementis corpore inſtituta, mirifice omnes animæ facultates recreat, natiuum calorem per vniuerſum corpus diffundit, humores concoquit digeritque, membra ſingula prompta, & ad ſuum officium agilia reddit, aluũ ſoluit, tantaque efficacia flatus excutit, vt par ſibi remedium non habeat, nullumque magis ſincerum, magiſq; tutũ

Epid. 6.

Exercitium

De ſanit. tuend. Lib. 2.

ſit,quam tempeſtiua exercitatio coniũ-
Alimenta. ꝺta parſimoniæ. Alimenta itaque pauca
ſint,eaq; ſinapi,aut alio quouis cõdimẽ-
to extenuante calfacienteue (niſi corpo-
ris totius diſpoſitio biloſa aut ſangui-
Olera nea obſtet) condita. Inter olera, Sal-
uiam,hyſſopum, thymbram,fœniculũ,
maioranam, pulegium, calaminthum,
hiſq; ſimilia vſui ſibi eſſe ſciat infirmus.
Carnes Carnes quib. veſcetur,ſint,aſſæ, aroma-
tum acceſſu plerumq; conditæ,aut Sal-
uia, & roremarino ſuffixæ. Panis ſit cli-
Panis banites optime fermẽtatus, habens ſibi
quoduis ex ſeminib. calidis,fœniculũ, a-
niſum,petroſelinũ,vel melanthiũ,quod
Vinum Git vocant,admiſtũ. Vino vtatur potẽ-
te ſi ab imbecillo calore ij geniti ſint: Sin
bilioſũ corpus ſit,aut plethoricũ,aquo-
ſo,eoq; pauco. Statim a cibo ſequentiũ
puluerum vſus ſit flatulentis,eoſq; hi fa-
miliares ſibi habeant, mirum quanta id
fecerint vtilitate.Stomachum nanq; ro-
borant conſtringuntq;,nec ſinunt vapo-
res alimenti in cerebrum efferri, calorẽ
natiuũ excitãt, concoctionẽ accelerãt
chylũ digerũt,excremẽta deorſum pro-
pellunt,& quod vſui noſtro accõmoda-

tiſſimū iudico, impēſe flatus diſſipāt. vt

℞ Aniſi conditi ℥ iii
Sem. fœniculi ℥ i ß
Coriand. præparat. ℥ i
Cymini, carui, Seſelios in vino albo maceratorum, vt ingratus ſapor miteſcat, añ ʒ i
Cortic. citri ſicc.
Cinam. craſſi añ ℈ iiii

Sacchari albi duplum omnium. fiat puluis, cuius cochlear vnum ſumat poſt cibum, nec amplius bibat.

Vel ſic.

℞ Coriand. præparat. } añ ℥ i
Sem. Carui
Aniſi
Roſar. rub. } añ ʒ i ß
Maſtich.
Menth. ſicc. ʒ i
Nucis moſchat. } añ ʒ ß
Cinam. Cubeb.

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, & cum ſacchari roſac. tabuli ℥ viii. miſceantur, ſumatq; cochlear vnum poſt paſtum. Sub veſperum etiam abſoluta fere coctione alimenti, vtile erit radicis helenij conditi, aut zingiberis crudi, aut conditi drachmam vnam den-

tibus leniter commanſam inglutire, gẽtianæ etiam aut imperatoriæ radices, cubebarũ ſaccharo incruſtatarum, aut piperis albi grana duo aut tria dentibus dũtaxat confracta & deuorata mirifice tardam concoctionem adiuuant, & flatus in ventriculo collectos diſſipant. Idem quoq; præſtant matutino tempore, poſtquam excremẽta deieceris, ſumpta. Si interim aluus ſua ſponte non deiecerit: arte proritanda erit medicamẽtis illis, quæ benedicta appellantur: Vt eſt Terebinthina optima, cuius ℥ iij in vino albo bis terue lotas, & nebulis inuolutas ante prandiũ deuoret, vel Rhabarbari electi ʒ ß commanſam deglutiat: vel ſumat hora vna ante cœnam aloes optimæ ad formam pilulæ redactæ ſcriptulum vnum, vel medullam carthami cum caricis: caſſiam hic, quod flatulẽta ſit, non admiſerim. Hactenus de prouidentia & victus ratione in flatuoſis affectibus ſeruanda, ſatis ſuperq; dictum arbitror: quæ ſi longa cuipiam videbitur, aut dolor agitatis flatibus inducias non dederit, curatio quæ per medicamenta fit, venit inſtituenda.

De cõmuni flatuoſorũ affectuũ curatione. Cap. 13.

MIrabitur forſitan quis, quod quæ Symptomata antea recenſui, eorum iam curationem inſtituam, cum per ſe nullam illa admittant. Sed is mirari puto deſinet, vbi intellexerit nos legentium vtilitati cónſulere volentes, id feciſſe. Qui enim flatuoſum ſpiritum diſſipat, cauſam aufert morbi, qui intemperiem corrigit, conformationis vitia emendat, & vnitatis ſolutionem reſtituit, is morbum curat. Ceterum qui ex his natum dolorem reſpicit, hic ad ſymptoma intentus eſt. Quapropter nos morbos flatulentos prius ſymptomata nuncupantes, ad dolorem quem inferũt diuerſis in locis reſpeximus, quo optima methodo oratio procederet, deinceps vero ſymptomatum mitigationem, morborum autem curationem inſtituimus. Curationis indicationẽ præbet affectus cognitio. Affectus eſt partium a flatu extẽdente diſtractio, quam plerunq; dolor, vt corpus vmbra, ſequitur. atqui affectus vna cum ſymptomate ablata cauſa euaneſcit, & partes ad pri-

ſtinum naturalemq; recurrũt habitum.
Tribus itaq; remediorum generibus veniunt curandi ex flatibus orti affectus, nempe victus ratione attenuante, calefaciente modice, & exiccante, quemadmodum copioſe ſatis capite præcedente explicatum fuit. Secundo medicamentis obſtructiones aperientibus, craſſam viſcoſamq; materiam incidentibus & purgantibus: quorum locupletem ſatis ſupellectilem ſingulis curationum capitibus te inuenturum exiſtimo. Tertio potiſſima ratio conſiſtit in flatibus quam citiſſime (antequam vires, doloris vehementia frangantur) diſcutiendis. Diſcutiuntur autem tenuium partium medicamentis: quæ ſi doloris particeps ſit affectus, eam habeant facultatem, vt dolorem mitigare, caloris imbecillitatem roborare, caliginoſum ſpiritum extenuare, & partium denſitatem recludere poſſint: pro affectarum autem partium differentia, tum curationis materia mutatur, tum facultas intenditur aut remittitur.

Curatio Affectuum flatulentorum triplex.

Victus ratio.

Pharmaca.

Diſcutientia.

De curatione doloris capitis. Cap.14.

PORRO variis in locis, vt paulo ante diximus, ille ſuam exercet tyrannidẽ: Quemadmodũ (inquit Gal.) in ventris & inteſtinorum regionibus ob caloris quidem inopiam, interdum ex cibo & potu vapor flatulentus producitur, propter imbecillitatem vero facultatis cõpræhenſiuæ adeo inflantur atque replentur ea organa, vt ipſius quidem repletionis gratia tendantur: ob tenſionem autem impenſe doleant: ſic etiam in partibus, quæ ad caput pertinent, poſſunt hæc eadem contingere: flatus enim vaporoſus, atque eo adhuc magis viſcidus, craſſuſue humor eum fouens anguſtiis meatuum capitis adeo vehementer impingitur, vt multo quãdoq; tempore ad curationem opus ſit. Ab huius curatione auſpicati, ad reliquarum partium mala condeſcendemus. Primum itaque flatus ſiue in cerebri meatibus ſolus oberret, quod ex motione doloris de loco in locum, & ex diſtenſione citra grauitatem ac pulſum intelligitur: ſiue pituitoſi humoris illum fouens multitudo ſubſit, ſicque

De compoſ. med. ſecũd. loc. lib. 2.

cum diſtenſione adſit coniuncta grauitas, & ſenſus frigiditatis: aut demum ex ſubditis corporis partibus in caput is influat, haud parum refert, ad rectam curationis methodum. Nihilominus tamen ab iiſdem plerumque curationis initiis, in flatuoſorum affectuũ curationibus auſpicandum exiſtimo: partim equidem ex capite in totum corpus reuellendo, partim affecto loco remedia adhibendo, reuocamus catharticis per os ſumptis, vel acribus enematis. Enemata autem in hunc vel ſimilem modum optime fieri poterunt. Revulſio.

℞ Maluæ, mercurialis, Caul. rub. calamint. añ M ß. Fl. Camomill. furf. añ p i. fiat decoctio in ſuff. quant. aquæ ad mediæ partis conſumptionem. In colaturæ ℔ i ß diſſoluantur

Diacatholiconis
Sacch. rubri añ ℥ i ß
Sp. hieræ ſimp. ℥ ii
Ol. anethini ℥ iij
Salis modicum

Miſtis omnibus, fiat enema, quod iniiciatur ante paſtum, non tepide quidem, tepida enim inflant, ſed calide, idq; ſeu

ſim, ne vi & impetu flatus magis ſurſum magnis torminibus compellat. optimum profectò hoc medicamentum eſt, quod ſine vlla moleſtia inteſtinorum obſtructiones reſoluit, dura ſtercore euacuat, & flatus, propria alioqui ſponte in caput influentes, reuellit. Hoc eiecto, alter ex carminatiuis compoſitus clyſter adminiſtrabitur.

℞ Rad. Altheæ ℥ ij. Maluæ, calaminth. puleg. Rutæ, Saluiæ, añ M i. Fl. Camomill. Stechad. Anthos añ p i. Sem. Aniſ. rutæ agreſt. Cubeb. añ ʒ iii. pulpę colocynth ʒ i. fiat decoctio ſecund. artem. In huius decoctionis per colum transfuſæ ℔ i. diſſoluantur:

El. de dactilis ℥ i
Hiera logod. ʒ ii
Sacch. rub. ℥ i ß
Ol. rutac. ℥ iii
Salis gemmæ ʒ i

Miſcę: fiat clyſter ante paſtum iniiciendus, potentiſſime ſane materias ſurſum vrgentes, capitique impactas retrahit & reuellit, flatus diſcutit, & cum fæcibus educit. Verũ ſi enema diſplicuerit, aut hæmorrhoides cęcæ, aliuſue ſedis affectus quominus admittatur, impedimẽto fuerint, hoc leni pharmaco vtatur ad

Lenitiva communium excrementorum (dura exiſtente aluo) eductionem.

℞ Diacatholiconis ℥ i
Sp. hier. Simpl. ʒ i

Miſce & cum ſaccharo fiant boli. dentur inuoluti nebulis, aut fiat in forma liquida.

℞ El. lenitiui ʒ vi.
El. de Succ. roſ. ʒ i
Syr. roſ. ſolut. ℥ i ß

Diſſoluantur in decoctione Fl. & fruct. cordialium, fiatq; hauſtus. Leniter laxata aluo, ſi caput multis craſſis viſcidiſq; humoribus obſeſſum videbitur: potiones eos attenuantes & incidentes ex decoctione hyſſopi, pulegij, Calaminth. Saluiæ, floribus ſtechados, & roriſmarini, cum Syrupo de ſtechad. melle anthoſ eiuſq; farinæ aliis in hunc modum concinnari poterunt.

Præparantia.

℞ Hyſſop.
Saluię
Calaminth. } añ M i
Fl. Stechad.
Anthos
Camemel. } añ p i
Sem. pæoniæ maris ℥ i
Aniſi, dauci, petroſelini, añ ʒ ii.
Coquantur ſecundum artem lento igni

ad ℔ i. colaturæ clarificatę, addantur, Syr. de Stechad. mellis anthoſ. an. ℥ i ß. Aromatiſetur cum Cinamomi ʒ i. fiatque Apozema pro tribus vicib.

Præparatis hoc pacto humoribus, flatibuſque vtcunque attenuatis, purgabitur ſequentibus pilis. Purgantia.

℞ Maſs. pill. Aur. ʒ i.
Trochiſc. alhand. gr. iij.

Miſc. & cum Syr. de ſtechad. fiant pilulæ quinque, deaurentur, ſumatq; circa mediam noctem. Vel in forma liquida.

℞ Agarici ʒ ii
Salis gem.
Zingiber.
Turpeti } an. ʒ ß

Infundantur per noctem in aquę ſtillat. Saluiæ, & Hyſſop. an. ℥ ii. poſtea exprimantur fortiter: expreſſo adde Elect. Indi mai. ʒ ii el. de Succ. roſ. ʒ i. Syr. de ſtechad. ℥ i. Miſc.

His ita peractis, & ſi opus fuerit, reiteratis, dolor ille a flatu diſtenſiuus, ſi necdum ceſſet, ad localia medicamenta ex Galeni conſilio eſt properandum: Aliquando enim, ait, adeo vehementer in anguſtiis meatuum flatus vaporoſus, atque eo adhuc magis viſcidus craſſuſue humor impingitur, vt multo tēpore ad curationem ſit opus, ac ſane *Lib. 2. de comp. med. ſec. loc.*

quæ ſic infarcta ſunt, attenuare oportet, dilatareque meatus per quos excernantur, habita ſimul prouidentia, ne quid aliud amplius influat, vtq; pars affecta cor roboretur, ne ipſa flatulentum ſpiritum gignat. Maxime itaq; ex vſu fore iudico, vt poſt inſtitutas, ita vt diximus tū præparationes, tum purgationes, habeatur
Caput. capitis ratio: quod optime fiet per cu-
Cucurbitulæ curbitulas cæcas, ſi nulla ſit ſanguinis repletio: vel cum ſcarificatione, ſi hæc adſit, ſcapulis affixas. Hic vulgus remedium quoddam habet vile ſatis, non ſine ratione tamen inuentum, & cum felici ſucceſſu ſępius comprobatum, quod in gratiam ſtudioſorum hic libuit ad-
Rapum iungere. Rapum ſub cinere coquitur, a quo cocto aufertur ea pars ſecundum rotunditatem, cui herba ipſa implantata erat, & calidiſſime pro tolerantia ægri poſt aures applicatur, qua tepeſcente, altera vt prius calens ſubſtituitur, reiteraturque hæc actio, donec flatus diſcuſſus eſt, & ablatus dolor: ſolet enim breui tempore id fieri. quod autem dolenti lateri applicari debeat, aut vtrique, ſi totum caput

doleat, omnibus puto notiſſimum. In dentium doloribus a flatu excitatis, eodem modo vſurpatum conuenit. Hæc ſi nondum ſufficiant odoramenta, quæ ſua tenuitate facile cerebrum ſubeuntia, flatuum craſſitiem extenuant, vt ſunt caſtoreum, vel Semen Git in aceto acerrimo maceratum: Aut inungat nares & aures oleo de caſtoreo, vel de Spica, vel etiam oleo communi, in quo coxerint, Euphorbium, Caſtoreum, Ruta, calaminthum, aut Semina pęoniæ actu calidis Dehinc ad maſticatoria deueniendum, quæ pituitæ reliquias facile educant, & calida ſua temperie flatũ diſcutiãt. ℞ Maſtich. ʒ ii odoramenta Maſticatoria.

Rad. pyrethri ⎫
piperis albi ⎬ añ ʒ ß
Cort. rad. capp. ⎭

Cum aceto Scillitico formentur paſtilli, mane poſt reddita excrementa maſticandi. vel ſic:

℞ Rad. pyrethri ⎫
Staphydiſagrię ⎭ añ ℈ ii
Nucis moſc. ⎫
Zingiber. ⎬ añ ℈ ß
Piperis albi ⎭
Maſtich. ʒ ii

Formentur paſtilli cum aceto acri, quorum quilibet ſit pondere ʒß, vel duorum ſcrupulorum. poterit etiam tẽtari quod materiæ poſt euacuationes reliquum eſt, errhinis medicamentis elicere, quæ hanc quidem non dumtaxat prouocant, ſed & ſtrenue tum propter agitationem, tum etiam ob horum calidam temperiem ſpiritus diſſipant.

Errhina.

℞ Helleb. alb. ℈ ii ß
Staphyſagr.
Piper. alb. an. ℈ i
Zingiberis
Garyophill. an. ℈ ß
Sem. nigell.

Cum pauca terebinthina, & parum ceræ fiant errhina garyophillis paulo maiora. Horum loco poteſt naribus attrahi ſuccus caulium rub. radicum ebuli, iridis, aut alterius cuiuſpiam, per ſe aut cũ aqua maioranæ, aut betonicę & melle miſtus. Poſtquam hunc expurgandi capitis modũ per aliquot dies proſecuti ſumus, nec amplius quicquã aut parum ſaltẽ pituitę cerebri meatibus adhuc infarctũ eſſe putauerimus: tempeſtiue tũ ad ea quę caput exiccant & corroborãt,

Excitantia & Roborantia.

Lixivium

flatuſq; diſcutiũt, trãſibimus. Huiuſmodi cũprimis ſunt lotiones capitis ex lixiuio. Lixiuium iuxta Gal. lib. 7. de facul. naturalib. eſt velut ablutio cinerum: ex aqua enim & cineribus id facimus: verbi gratia, libris tribus aquę, libram vnã cinerum infundimus, ſarmentorum & ſalicis maiorem copiam, braſſicæ autẽ & fabarum minorem ſumẽtes. Hi enim magis acres ſunt, & omne lixiuiũ pro cineris qui eluitur natura, vires habet. Vehementer quidem lixiuium abſtergit, exiccat, & abſumit flatus, flatulentos & œdematoſos tumores diſſipat, incoctis in eo maiorana, betonica, aſaro, baccis lauri & iuniperi, roremarino, & ſimilibus, aut ex horum decoctione factum lixiuium, vt exempli gratia:

℞ Abſinthii
Saluiæ } an. ℥i
Roriſmar. ſicc.
Thuris, milii toſti
Roſ. rub. ſiccarum
Fl. Camomel. ſtechad. } an ℥ij
Bacc. iuniperi
Sem. pęoniæ ℥i

Garyophillorũ, Piperis longi, Cubeb. ligni aloes an. ℈ j. pulueriſatis omnibus, fiat

Sacculus interbaſſatus ſeu interpunctim eſt ſutus ex ſerico tiaræ figuram repræſentans.

Vtatur ſubinde Diacymino, diatrion. pip. diacalamintho, ſeu confectione e baccis lauri ieiuno ventriculo; idq; potiſſimum cum flatus, qui capiti moleſtus eſt, frigidus ſit, vel a frigida cauſa eũ fouente, ortum habeat. Ceterum ſi ſpiritus flatulentus vna cum dolorifico calore (in qua ſententia Gal. eſt lib. 2. de cõpoſit. medicament. ſecund. loca) in capite præpolleat: in principio quidem repulſoria curatione eſt vtendum, quæ ex facultate refrigerante conſtat. Quod vbi factum moderate eſt, ex mitigatoriis & concoctoriis quippiam ad repulſoria miſcere oportet. Dein diſcuſſoria addẽda, ita vt paulatim repulſoria detrahamus, donec pharmacũ ipſum plurimũ digerens attenuatoriumq; reddatur, minus autem concoctoriũ & mitigatorium, ad hæc & diſcuſſorium ſit. Quin & acetum cum repulſoriam ſimul & attenuatoriam, imo & diſcuſſoriam habeat facultatem, vtpote quod ſecundum tẽperiem frigiditate quadam tenuium partium prepolleat, non ſecus quam exquiſita

Spiritus flatulentus cum dolorifico calore.

1. 2. 3.

quiſite ſerenus boreas, atqui per ſe ſolo aceto vtendum non erit, ob facultatis ipſius vehementiam, ſed cum roſaceo, portulacæ, polygoni ſeu ſolani ſucco: aut roſaceum cum oui albumine & aceti momento ſtuppis imbibitum ſiucipiti applicandum.

De curatione ſonitus aurium a flatuoſo ſpiritu. Cap. 15.

SI quidem ſpiritus flatuoſus in ſenſus auditorij organo ſe inſinuauerit, pertinaciterque (quod ex tinnitu, ſtrepitu, ſtridore, ſibilo, & murmure facile colligere eſt) inhęſerit: poſt generales, particulareſque euacuationes, quas ex præcedente capite huc transferre licebit: non abs re erit loco affecto in hunc modum conſulere, vt auribus ipſis admoueantur medicamenta incidētia & exiccantia, oleū nimirum amygdalarū amararum, aut id, in quo caſtoreum, cuminum, ruta, ſeu nardus, fuerint incocta, quib. aceti tantillum & mel admiſcere poteris, ſi vehementius attenuare ac diſcutere animus eſt, quæ omnia affectæ auri inſtilletur. Mirifice etiam iuuare docet Ætius caſtoreum & ſpica nar-

di æquis portionibus cum aceto & roſa-
ceo miſta & auri affectæ inſtillata, por-
ri etiam ſuccus cum lacte muliebri aut
roſaceo infundatur: aut hoc,

℞ Nitri }
Myrrhę } añ ℥ i
Veratri albi ℥ ß
Caſtorii ℈ i

Terãtur, & cum roſacei & aceti æquali-
bus partibus guttatim inſtillenter. Ve-
rũtamen melius hoc medicamentum
operabitur, ſi prius ſuffitus fiat per em-
botum ex ſequenti decocto mane &
veſperi.

℞ Calaminth. }
Maioranæ } añ M i.
Centaur. min. }
Roriſmarini }
Bacc. Iuniperi P i
Fol. lauri & abſinth. añ M ß
Lupin. nu. x. aut xii.
Lumbricorum in vino lotorum & in
ſindone ligatorum P ß.
aquæ partem vnam,
Vini albi partes duas.

Coquantur & ſeruentur pro ſuffitu;
poſt quem ilico inſtillentur tepidę ali-
quot guttulæ ſupradicti medicamenti:

aut ſi mauis illius, quod huc ex Reneri Solenandri conſilio quarto tranſcribere placuit, obturatis poſtea auribus goſſipio aut lana ſuccida.

℞ Olei veteris ℥ ii
Ol. porrorum
Ol. amigd. amar. añ ℥ i
Succi rutæ
Succi raphani añ. ℥ ß
Vini maluatici ℥ i ß

Bulliant in ampulla vitrea ad ſuccorum & vini prope conſumptionem, deinde adde

Spicę nardi
Colocynthidis
Caſtorij
Maſticis pulueratorũ } añ gr. ii

poſtea occluſa ampulla bulliat in dupli-ci vaſe quod balneum Mariæ vocant per horas tres auferatur ab igne, & in alio vaſe ſeruetur ad ſolis æſtum per paucos dies, donec liquor clareſcat: poſtea coletur per linteum ſubtile & exprimatur, & adde muſci granum i. ß diſſoluatur optime & ſeruetur in vſum. Interim dum vtitur ſuffitu, ſunt continendæ & conterendæ dentibus fabæ, aut piſa aliquot, nam dum hoc fit auditorius me-

atus obſeruatus eſt magis patere, quò eo fumus magis penetret. Huic virtutè & efficacia ſimile eſt medicamentum quod ſequitur.

℞ Succ. alliorum Succ. calaminth.	an ℥ i
Aquæ vitæ Ol. laurini Ol. amyg. amar.	an ℥ ß
Aloes hepaticæ Myrrhæ an ℈ i Croci gr. iiij.	

Redigantur hæc in puluerem tenuiſſimum, commiſceanturque omnia, iiſque impleantur, cepæ duæ magnæ excauatæ contegantur, & aſſentur ſub cinere, & diligenter fortiterq; ſuccus exprimatur. Huius aliquot guttulæ ſæpe in aures inſtillentur, & potiſſimum mane & veſperi poſt ſuffitum. Vinum etiam decoctionis florum camemeli & lauãdulæ optime collectos flatus diſcutit per interualla calide infuſum, necnon ſacculus ex iiſdem floribus, roremarino, ſtechade, abſinthio, & calamintho concinnatus & interbaſſatus, atque poſt ſupradictos ſuffitus & inunctiones, ita dolenti auri impoſitus, vt per totam noctẽ

hæreat, eique patiens incumbet. interim dum iam dicta ſollicite adminiſtrantur, omittendum non erit quin lenibus enematis aluus interdum eluatur, ne excrementorum cohibitio, nouam materiam ſuggerat.

De curatione doloris dentium a flatuoſo ſpiritu contracti. Cap. 16.

QVandoquidem ſuperius multis docuimus nihil flatui ad motus celeritatem deeſſe, & vel momento etiam denſiſſima corpora peruadere: non mirum ſi ſeſe in neruũ, qui dentib. ſubſternitur inſinuans, intenſiſſimos, intolerabileſq; dolores, ob diſtenſiones & frigidam intemperiem inferat. Horum itaq; curatio ad communium excrementorum eductionem eſt ab enematis emollientibus auſpicanda. Vt:

℞ Diacathol. ℥ iß
Sach. rub. ℥ i
Ol. Aneth. } añ ℥ iß
Ol. Camemel }
Salis ʒ i

Diſſoluantur in decoctionis communis clyſterum ℔ i. fiatque enema. Si edu-

ctis fæcibus magis reuellentem & flatuum craſſitiem carminantem optes, talem conſtruito.

℞ Rutæ, ſtechados, Betæ, Centaur. minoris ſing. M i. Fl. Sãbuci Hypericonis Camemeli an. P i. Bacc. lauri, Sem. Cumini an. ℥ ß. Agarici, fol. Senę Alexand. an. ℥ ß. fiat decoctio ſecundum artem. In colaturæ ℔ i diſſoluantur,

El. indi. mai.
Hier. logod. an. ʒ iiii
Mell. roſ. col. ℥ ii
Ol. laurini ℥ iii
El. de bacc. laur. ʒ ii

miſtis omnibus fiat enema.

Porro enemata ſi non admittant ægri, pilulæ aloes non lotæ, pilulæ de hiera ſimplici, pilulæ aureæ & cochiæ ex vſu erunt, præparata tamen prius materia ſi quæ ſubſit, ſintque dolores remiſſiores. Verum ſi dolores intenſiſſimi inducias non dederint, & materia ſit exigua, omni tum poſthabita tam præparatione quam euacuatione ad id quod magis vrget reſpiciendum. dolor itaq; quamprimum ſedandus. quapropter cucurbitula leuis cum larga flamma bis terue ſpatulæ dolenti venit applicãda. poſtea

℞ Nigellæ
Cumini
Rad. pyreth.
Rad. petroſ. } an. ℥ iiii

Coquantur in vino ſufficiente ad conſumptionem medietatis, cum colatura actu calida, diu multumque colluatur dens, efficaciter enim flatum extenuabit & diſcutiet, intemperiem frigidam corriget, multamque viſcidam pituitam flatuum materiam eliciet, vel in aceti acerrimi quantitate ſufficiēte bulliant radicis pyrethri ℥ ß, piperis albi ʒ i. qua decoctione colluat vt prius & pituitam expuat. poterit etiam ſacculus in hunc modum concinnari & afflicto dēti aptari exterius.

℞ Calaminth.
Hyſſopi
Camomilæ } an. M i
Milij toſti
Furfurum
Salis } an. P j.
Cumini ℥ ß

Miſtis omnibus fiat Sacculus: quo facto, ferro candenti fictili impoſito affundantur aceti acerrimi cochlearia tria aut quatuor, exhalantem fumum

excipiat ſacculus ollæ orificio appoſitus, ſic enim ſimplicium vis excitabitur, ſacculus calfiet, & commode quod volumus efficiet. Solēt etiam in hoc affectu noſtrates mulierculæ, vt ſupra meminimus, pro magno ſecreto rapi ſub cinere calente aſſi infimum orbiculum calidiſſimū poſt aures applicare, magna certe efficacia reuellit, & dolorem ledat, vt ego, qui eius rei experientiam & feci, & ab aliis factā obſeruaui, teſtari poſſum. Narcoticis vti in hoc affectu neutiquā conſultum mihi videtur: nimium enim cōgelatur, & inſpiſſatur flatus, ac inſtar craſſiſſimæ nubis, neruoſis partibus dentiumq; radicibus impingitur, nec aliud congelando efficimus, quam quod leue ſolatium in difficiliorem affectum abeat. Verum ſi intolerabilis immenſuſque dolor ægrum percoquat, coactuſque ſit medicus eo remedii genere naturā conſolari; ſuadeo vt narcotica vis calfacientibus refringatur, vt que eadem opera & ſymptomatis, & cauſæ rationem habeamus, quod ita optime fiet:

℞ Pyrethri
Piperis an ʒ i

Opij ℈ß

Illigentur linteo, & ad horas duas vel tres infundatur in acetum acerrimum, & ſuper dentem applicetur. vel,

℞ Sem. hyoſciami
Staphyſagriæ
Pyrethri añ ℈ i.

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, cuius accipe ℈ i. & cum aceto forti fiat pilula, quę ſuper dentem teneatur vnius horæ ſpatio, mirifice quidem dolorem conſopit, nec effatu dignam intemperiem procreat: tametſi ſolis reſoluentib. doloris acerbitatem lenire, ſi id fieri poſſet, magis pro voto eſſet.

De curatione ventoſæ pleuritidis. Cap. 17.

Moleſtus admodum is dolor eſt, qui ex flatuoſo ſpiritu in alterutro, vel vtroque etiam latere ſubnaſcitur, cum ſeſe ille in thoracis cauitatem, vel inter membranas coſtas ſuccingentes ingerit. Tum enim ad ſimilitudinem veræ pleuritidis tuſſiculam, inquietudinem, febriculam interdum, ſitim & dolorem diſtenſiuum adfert. Qui quidem dolor tametſi multis ex ſignis a vera pleuritide diſcerni & internoſci

poſſit, nihilominus tamen Hippocrates ad maiorem ſecuritatē iubet fomentis calidis dolorem pertentare, qui ſi ex fotu increſcat indubitatum relinqui ait ex defluxu, & potiſſimum humoris calidi eum produci. Sin miteſcat, flatuoſum ſpiritum hunc excitaſſe, aut leuem defluxionem eo decubuiſſe, quæ propter cutim ex fomentatione rariorē effectā facile expirat & reſoluitur. Atqui cōſultum neutiquam eſt in hac pſeudopleuritide modo vehementior ſit, ſolis fomentis contentū eſſe: verum oportet primo per inteſtina viam flatui ſternere per quam erumpat. Excrementa enim communia plerumque in hoc affectu tam pertinaciter inhibentur, vel ex immoderatiore quiete, vel illorum ſiccitate, & duritie per venas diſtributo humore, vel denique ex copia craſſæ & viſcidæ pituitæ obturatis meatibus vt ſua ſponte nihil aluus excernat, nec efflatus fieri poſſint, moueri itaque & exonerari debet natura enemate communi, quo eiecto aliud ſubiicere maiore vi, atque efficacia ad reuellendum purgandumque præditum, quorum de-

Fotus. Alui lenitio. Reuulſio.

ſcriptiones ex capite præcedente huc tranſferre haud difficile erit. Siquidem æger moroſior ob inutilem pudorem, aut falſam in animo de enematis periculo conceptam perſuaſionem id minime admittat: ſequens accipiat pharmacum ad fœcum communium eductionem. Lenitivum.

℞ Diacathol. ℥ iiij
El. de dact. ℥ ij
Sp. hier. ß. ℥ ß

miſce & cum ſaccharo fiat bolus, detur inuolutis hoſtiis, vel accipiat puluerem ſequentem cum iure caponis aut vino albo.

℞ Pulueris Senæ præparat. ℈ iiij
Rhabarb. el. ℈ ß
Diagridij gr. ii.
Aromatic. roſ. gr. viii
Sacchari q. ſuff.

Miſtiſque omnibus, fiat puluis: ſumat in aurora. poſtquam hoc modo fæces ſunt expurgatæ, & inteſtina vacua, conſultum erit venã iecorariã affecti lateris Venæ inciſio. ſecare, ſi ſanguinis copia adſit, aut dolor vehemẽtiſſimus: alioqui minime ſuaſerim: deinde per medicamenta localia & cũ primis fomẽta tẽtãda eſt curatio.

excipiat ſacculus ollæ orificio appoſitus, ſic enim ſimplicium vis excitabitur, ſacculus calfiet, & commode quod volumus efficiet. Solēt etiam in hoc affectu noſtrates mulierculæ, vt ſupra meminimus, pro magno ſecreto rapi ſub cinere calente aſsi infimum orbiculum calidiſſimū poſt aures applicare, magna certe efficacia reuellit, & dolorem ſedat, vt ego, qui eius rei experientiam & feci, & ab aliis factā obſeruaui, teſtari poſſum. Narcoticis vti in hoc affectu neutiquā conſultum mihi videtur: nimium enim cōgelatur, & inſpiſſatur flatus, ac inſtar craſsiſſimæ nubis, neruoſis partibus dentiumq; radicibus impingitur, nec aliud congelando efficimus, quam quod leue ſolatium in difficiliorem affectum abeat. Verum ſi intolerabilis immenſuſque dolor ægrum percoquat, coactuſque ſit medicus eo remedii genere naturā conſolari; ſuadeo vt narcotica vis calfacientibus refringatur, vtque eadem opera & ſymptomatis, & cauſæ rationem habeamus, quod ita optime fiet:

℞ Pyrethri
Piperis an ℈ i

Opij ℈ ß

Illigentur linteo, & ad horas duas vel tres infundatur in acetum acerrimum, & ſuper dentem applicetur. vel,

℞ Sem. hyoſciami
Staphyſagriæ
Pyrethri añ ℈ i.

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, cuius accipe ℈ i. & cum aceto forti fiat pilula, quę ſuper dentem teneatur vnius horæ ſpatio, mirifice quidem dolorem conſopit, nec effatu dignam intemperiem procreat: tametſi ſolis reſoluentib. doloris acerbitatem lenire, ſi id fieri poſſet, magis pro voto eſſet.

De curatione ventoſæ pleuritidis. Cap. 17.

MOleſtus admodum is dolor eſt, qui ex flatuoſo ſpiritu in alterutro, vel vtroque etiam latere ſubnaſcitur, cum ſeſe ille in thoracis cauitatem, vel inter membranas coſtas ſuccingentes ingerit. Tum enim ad ſimilitudinem veræ pleuritidis tuſſiculam, inquietudinem, febriculam interdum, ſitim & dolorem diſtenſiuum adfert. Qui quidem dolor tametſi multis ex ſignis a vera pleuritide diſcerni & internoſci

poſſit, nihilominus tamen Hippocrates ad maiorem ſecuritatē iubet fomentis calidis dolorem pertentare, qui ſi ex fotu increſcat indubitatum relinqui ait ex defluxu, & potiſſimum humoris calidi eum produci. Sin miteſcat, flatuoſum ſpiritum hunc excitaſſe, aut leuem defluxionem eo decubuiſſe, quæ propter cutim ex fomentatione rariorē effectā facile expirat & reſoluitur. Atqui cōſultum neutiquam eſt in hac pſeudopleuritide modo vehementior ſit, ſolis fomentis contentū eſſe: verum oportet primo per inteſtina viam flatui ſternere per quam erumpat. Excrementa enim communia plerumque in hoc affectu tam pertinaciter inhibentur, vel ex immoderatiore quiete, vel illorum ſiccitate, & duritie per venas diſtributo humore, vel denique ex copia craſſæ & viſcidæ pituitæ obturatis meatibus vt ſua ſponte nihil aluus excernat, nec efflatus fieri poſſint, moueri itaque & exonerari debet natura enemate communi, quo eiecto aliud ſubiicere maiore vi, atque efficacia ad reuellendum purgandumque præditum, quorum de-

Fotus.

Alui lenitio

Reuulſio.

ſcriptiones ex capite præcedente huc tranſferre haud difficile erit. Siquidem æger moroſior ob inutilem pudorem, aut falſam in animo de enematis periculo conceptam perſuaſionem id minime admittat: ſequens accipiat pharmacum ad fœcum communium eductionem. Lenitivum.

℞ Diacathol. ℥ iiij
El. de dact. ℥ ij
Sp. hier. ß. ℥ ß

miſce & cum ſaccharo fiat bolus, detur inuolutis hoſtiis, vel accipiat puluerem ſequentem cum iure caponis aut vino albo.

℞ Pulueris Senæ præparat. ℈ iiij
Rhabarb. el. ℈ ß
Diagridij gr. ii.
Aromatic. roſ. gr. viii
Sacchari q. ſuff.

Miſtiſque omnibus, fiat puluis: ſumat in aurora. poſtquam hoc modo fæces ſunt expurgatæ, & inteſtina vacua, conſultum erit venā iecorariā affecti lateris Venæ inciſio. ſecare, ſi ſanguinis copia adſit, aut dolor vehemētiſſimus: alioqui minime ſuaſerim: deinde per medicamenta localia & cū primis fomēta tētāda eſt curatio.

Localia.

℞ Calaminth.
Pulegii
Roriſmarini
Rutæ
} aā M i.

Fol. lauri M ß

Bacc. Iuniperi
Fl. Camemel.
} aā P i.

Sem. lini
Fœnogr.
Furfur.
} an. ℥ iii

Coquantur in ſ. q. aquæ lento igne ad mediæ partis conſumptionem, poſtea infunde tum herbas, tum ius ipſum in veſicam porcinam, aut bubulam, & calide applicetur loco dolenti, aut immergatur in decoctum linteum quadruplicatum, vel potius ſpongia noua exprimatur leuiter, & imponatur: cum tepeſcit denuo immergenda, ſępiuſq; hoc eſt reiterandum. Per hunc fotum pulchre craſſus & crudus ſpiritus concoquitur, extenuatur, & diſcutitur, poſt fomentum illinatur locus oleo Camemelino, vel de amygdalis amaris, & panno laneo albo calefacto contegatur. Sacculus etiam poteſt fieri ex ruta, thymo, abſinth. Florib. Lauandulæ, Roriſmarini, camemeli, Sem. nigellæ, Cumini,

dauci, Baccis lauri, aliiſque infinitis, & eo modo quo cap. 16. diximus, concalfactus applicari. Ceterum cum hoc modo craſſities flatuum extenuata fuerit, tempeſtiuum erit, quatuor aut ſex digitis ſub dolente loco cucurbitulam magnam ſine ſcarificatione cum larga flamma bis aut ter affigere. tum enim multo promptius, & cum minore ægri moleſtia extenuatus ſpiritus trahentem cucurbitulam ſequetur, & diſſipabitur facilius. Siquidem prius ob nebuloſam & denſam ſubſtantiam pertinacius parti impactus inobediens & immorigerus cucurbitulę erat. Quippe hæc ita administrata affectum ſi nondum tollant, intuſue fouentem pituitam craſſam & viſcidam flatus habeat: poterit illa hoc modo per incidentia & extenuantia præparari. Cucurbitula

℞ Rad. Irid. petroſel. helenij an. ℥ i. Cort. rad. ebuli & tamaricis an. ʒ iiii. Saluiæ, Roriſ mar. Hyſſopi, Abſinth. rom. an. M ß Cuſcut. M i. Sem. 4. calid. mai. an. ʒ ii paſſul. enucleatarum p i. liquiritiæ raſæ ʒ iiii. bulliant in ſuff. qnant. aquæ ad medias partes. In col. clarificatæ ℔ i. Diſſoluantur Syrupi de quinque rad. ℥ ii. Syr. de ſtechade, Oximellis

ſquill.an.℥i. Sacch.quantum ſufficit ad conciliandam ſuauitatem. Aromatiſetur cum Cinamomi ʒ iß. fiatq; apoſema pro 4. vicibus bis de die ſumendis, præparata materia ſequente plegmagogo expurgabitur.

℞ Agar.trochiſcati ℈ iiii. Zingib.ʒ ß.

Infundātur in aquę fœniculi & vini albi æqualibus partibus per horas xij. In forti expreſſione diſſoluantur

Benedict.laxat. ʒ iii
El.de Succ.roſ. ʒ ß
Syr.de calaminth. ℥ i

Miſce & fiat hauſtus, ſumat diluculo cum cuſtodia.vel,

℞ Turpetel. ʒ i
Zingib. ʒ ß
Sacch.albiſſ. ʒ ii

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, & ſumat cum iure pulli, aut vino tenui. Expurgata materia repetantur, ſi neceſſarium videbitur, fomenta paulo ante dicta cum inunctionibus & cucurbitulis. Interim diacymino vtatur: electuario de bacc. lauri vel ſequenti confectione.

℞ Conſer.fl.Borrag.
Conſ.rad.Helenij } an.℥ß

Sp.Diacym.
Dianiſi } an. ℈ i
De bacc.lauri
Cinamomi ℈ ß

miſce & cum Syrupo conſeruationis corticum citri: fiat electuarium molle ſeu opiata: ſumat ieiuno ſtomacho pondus drachmæ vnius, per ſe aut in decoctione florum Camemeli, & Seminis Aniſi, aut cum vino albo diſſolutum. Non alienum etiam a ratione erit locũ dolentem cum calida manu in mixtura vini ſublimati & olei amygd. amararũ intincta diu fricare, & poſtea pannũ laneum album calide applicare, eadem prope ratione in pulmonum inflationibus eſt procedendum.

De curatione palpitationis ventoſæ. Cap. 18.

PAlpitatio ſymptoma cordis eſt, nempe eleuatio quædam ipſius atque depreſſio præter naturam a diſtendente ſpiritu facta, eo quidem moleſtius & periculoſius ceteris ab eodem factis, quo nobilius viſcus vitæ fontem afficit. Quandoquidem ſi multum offendat, aut diutius perduret, adeo facul-

tatem vitalem eneruat, vt ad lipothymiam, ac demum ad mortem repentinam permutetur. Sedulo itaque procurandum, vt bona victus ratione ſollicitaque curatione cor corroboretur, flatus diſſipentur, & quod omnium primum eſt, horum cauſa amoueatur. Aer igitur lucidus ſit ad calidum & ſiccum vergẽs, nulla aut nebuloſa caligine, aut graui odore conſpurcatus. Qui ſi natura talis non ſit, arte paretur medicamentis ſuauẽ odorẽ ſpirantibus, & cordi familiaribus. Alienus æger ſit ab animi vehementibus affectibus, præſertim ſubito timore & præcipiti excandeſcentia. A multo vſu vini (moderate enim ſumptũ conuenit) a venere, ſomno diurno, a potu frigido, ab iis deniq; omnibus, quæ capite de præcautione abunde ſatis diximus, abſtineat. Aluus ſua ſponte laxa ſit & fluxilis, aut mollibus enematis balaniſue prouocata: vt,

Aer.

Enema.

℞ Rad. altheę ℥ ii. Herbarum quinque emollientium an. M i. Sem. Aniſi ℥ i. fl. Camemeli P j. Agarici, fol. Senæ orient. an. ʒ iiii Fiat decoctio ad ℔ i. in colatura diſſoluantur

Diacathol. Sacch. rub. an. ℥ i

Hier.

Hier.ſ. cum melle. ℥ß
Ol. Camemel. Aneth. an. ℥ii
Salis communis ʒi

miſceantur omnia, fiatque clyſter. vel fingatur Balanus communis ex melle cocto, cui ſi magis validũ deſideres, addentur hier. ſ℈ i. aut hier. logodij ℈ ß. In delicatulis vitellus oui cum ſalis modico, candela ſebacea, ficus inuerſa aut ſimile quiddam ſufficiet. Quod autem cibi ſint eligẽdi pauci, immodicæ humiditatis & flatuum expertes, boni nutrimẽti, faciliſq; cõcoctionis prȩcipue aſſi, hyſſopo, fœniculo, meliſſophyllo, Borragine, garyophyllis, aliiſue calidi & ſicci tẽperamẽti cordialib. ſuffixi, aut aliter cũ his elixãdo præparati, omnib. notiſſimum eſſe iudicio. Atqui quibus dubiũ videri poſſit, an vena in hoc affectu ſecari debeat, cum ſanguinis ablatio vitale robur (quod alioqui ſine ſanguinis vlteriore cõmotione ſymptomatis nomine infirmũ ſatis erat) eneruet, nec morb. ſui ratione, vtpote qui in ſanguine non conſiſtit, minime eam requirat? Reſpondeo cum Galeno, mirificũ ſanguinis miſſionẽ eſſe prȩſidium vel in omni pal- Cibi. Venæ ſectio. *Lib. 5. de loc. aff.*

pitatione: ait enim, palpitatio viſceris huius pluribus integra valetudine degẽtib. tũ adoleſcentibus tum adultis ſubito ſine alio manifeſto accidente euenire viſa eſt, atq; omnes eos ſanguinis detractio iuuit, atq; hoc accidente plane liberati ſunt qui poſt ſanguinis miſſionẽ vſi ſunt victu & medicamentis quibus eſſet extenuãdi facultas. Sanguinis itaq; ablatio prodeſt, magis tamen gratia reuulſionis inhibentis ne ad ipſum coriã imbecillum & affectum excrementa cõfluant, aut ob palpitationis motũ idea attrahat: quam quod ſui ratione eã deſideret, cum ob flatuum frigiditatem in intemperiem frigidam potius quam calidam inclinet. Secabitur baſilica dextri brachij, verum confertim & ſemel ſanguis non effluet, ſed reiterato ad maiorem reuulſionem: ni ætas, virtus aut aliud quiddam eorum quæ venæ pertuſionem ſolent impedire, obſtet. Facta hac euacuatione, extenuans victus, & medicamenta incidentia, ſpiritumque diſſipantia palpitationem curant, intemperiem enim frigidam cordi inductam corrigunt, idipſum

corroborant, flatus diſſipant, fouentem eos pituitam abſumunt, natiuum calorem efficiunt robuſtiorem, & omnes animales naturaleſq; actiones reſtaurant & conſolãtur. Porro medicamenta hæc præſtantia, calida ſunt, ſingularẽq; virtutis vitalis roborandæ habent prærogatiuam, vt ſunt, diacinamomum, diacalaminthum, dianiſum, Aromaticum roſatum, diamoſchus dulcis & amara, mithridatũ, & theriaca Andromachi, quodlibet per ſe cum vino generoſo & fuluo, aut cum aliis informa mixturæ ſeu electuarij exhibitum: vt, Electuarium.

℞ Cort. citri ſacch. conditi ℥ iß
Conſer. fl. Borrag. ℥ j
Sp. Aromatic. roſ. ʒ i
Sp. Diamoſch. dul. } an. ℈ ii.
Sp. Diacalaminth. }
Sem. Citri }
Sem. melon. mund. } an. ʒ ß
Coriand. præparat. }
Corall. rub. ℈ i

Pulueriſanda terantur minutiſſime, & cum Syr. de borragine fiat opiata: cuius quidem magnitudinem nucis Ponticæ diluat in vino maluatico ſeu alio generoſo & tribus horis ante paſtum, ma-

ne & veſperi ebibat, aut electuarium per ſe ſumat, ſuperbibatq; hauſtulũ vini potentioris ad faciliorem ad cor, reliquaq; viſcera trãsſumptionem. Vel ſic fiant in tabulis, quas lozengias barbari vocant,

Morſuli

℞ Sp. Aromatic. roſ.
El. de Bacc. lauri an ʒ ß
Cardamimi }
Sem. citri } an. ℈ ß.
Corall. rub. }
Sp. diacymini ℈ i

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, & cũ ſaccha. in aqua meliſſophylli diſſoluto formẽtur morſuli, ſeu tabulæ põdere drachmæ vnius, quorum vna qualibet vice dabitur, mane tribus aut quatuor horis ante paſtum, altera veſperi tantundem horis poſt cœnam, cum optimi vini vnc. iii. aut iiij. poterit etiam interdum vti loco vini ſimplicis, vinum quod Hippocraticum vocant, hoc modo confectum,

Vinum Hippocraticum.

℞ Sacchari albiſſ ℥ iiii
Cinamomi ʒ iii
Zingiberis ʒ ß
El. de bacc. lauri
Gran. parad. an. ℈ ii
Vini generoſi ℔ ii.

colẽtur per manicam Hippocratis fiat.

que potus Singulare huic palpitationi à flatibus remediũ eſt, alternis vel etiam ſingulis dieb. niſi admodũ moleſtũ ſit, ſumere quatuor horis ante paſtũ Theriacæ Andromachi veteris ſcrupulos duos aut ʒß. cum vino decoctionis macis & Cinamomi. Extrinſecus inſuper epithemata imponantur oleũ nardinũ in quo ambra & moſchus diſſoluantur, ſi odorẽ æger ferat. Tenuioris fortunæ hominib. ſufficiet vinũ decoctionis meliſſophylli, roriſmarini, cumini & baccarũ lauri pro Epithemate cum oleo amygdalarũ dulcium & puluere garyophyllorum, nucis moſchatæ & cinamomi: ditioribus conueniet hoc quod ſequitur. Epithemata.

℞ Aq. meliſſophylli
Aq. flor. citri an. ℔ ß
Vini maluatici ℥ iii
Macis, Garyophyll.
Nucis moſchat an. ʒ i
Sp. diambræ ℈ iiii
Sem. Citri
Sem. Ocimi añ ʒ ii
Croci ℈ i.

Miſce & fiant cordi Epithemata calide ante paſtum, non minus ex vſu erit ſacculus ita præparatus.

Sacculus.

℞ Fl. anthos
Borraginis } an. p i.
Camemeli
Sem. & cort. citi
Ligni aloes
Cinamomi an. ℥ i
Garyophyll.
Cubebarum } an. ℥ ß.
Cardamo. mai.
Croci ℈ i

Contundantur groſſo modo, fiatque ſacculus ex ſerico interbaſſatus, qui vino maluatico nonnihil conſperſus calide cordis regioni imponatur. Hoc modo procedendū exiſtima in curatione palpitationis quæ ſine fouente cauſa a ſolo ſpiritu flatulento ortum habet. Ceterum ſi craſſa viſcidaque pituita fomitem flatui ſubminiſtret, eam ſic præparando aggrediemur.

Si a craſſa viſcidaq; pituita

præparatio.

℞ Meliſſophylli, Borraginis, betonic. calaminth. roriſmar. an. M ß. Fl. Stechad. arab. Fl. perſicorum an. P i. Sem. Ani. Cardamomi min. an. ℥ ii. paſſul. ab arillis mundatarum P i. Contundantur groſſo modo in mortario, aut ſcindātur cultello, macerēturq; horis xii. in vini Rhenēſis, & aquæ meliſſophylli an. ℔ ß. in ampulla vitrea, aut fi-

ctili vitreato ſtricti orificij : poſtea coquãtur in duplici vaſe, quod balneũ Mariæ vocant, bene obturato oſculo, ad horas tres demũ colẽtur. In colatura clarificata diſſoluãtur, Syrupi conſeruationis corticũ citri, & Syrupi de byſantiis ana ℥ ii. aromatizetur cum Sp. cordialiũ ʒ i. fiatq; (vt aiunt) Syrupus longus, ſumat diluculo per quatuor dies. Deinde hoc modo purgabitur, Purgatio

℞ Agar. trochiſc. ʒ i ß
Zingiberis ʒ ß

Infundantur per horas duodecim in iure decoctionis meliſſophylli, cuſcutæ, calaminthæ, & hyſſopi: poſtea ebulliant ad tres aut quatuor ebulliones, auferantur ab igne, & exprimantur fortiter, expreſſi colati ʒ iiii addantur, ſyrupi de ſtechade ℥ i. El. indi. maioris Bened. laxatiuæ an. ℥ ii. miſce, fiat hauſtus quem ſumat hora quinta matutina. Hæc ſi ob materiæ craſſitiem & viſciditatem, necdum ſuffecerint : aliis item quatuor diebus illa præparabitur, verum huiuſmodi medicamentis, quæ vehementius extenuent, & incidant, vt ſint Oximel ſimplex, Syrupus de duabus &

quinque radicibus, & Oximel ſquilliticum cum aquis diſtillatis meliſſę, Scabioſæ, Hyſſopi, & eius farinę aliis: vel cum decocto origani, calaminthæ, hyſſopi, pulegii, betonicæ, & roriſmarini, vtatur cum ſyrupis Theriacæ Andromachi, vel Mithridatis ℈ ii, vel dianiſi, aut diacalaminth. ℥ i. tum demum ſic iterum purgabitur,

℞ Turpeti el. ℥ i
Diagridij gr. ii
Zingib. ℥ ß
Sacch. albiſſ. ℥ ii

Redigantur in puluerem tenuiſſimum, & cum iure pulli aut caponis ſumat diluculo. poſt ita inſtitutas abſolutaſq; tũ præparationes tum purgationes reſumat ſupradicta medicamẽta cordis robur confirmantia, & palpitationi appropriata. Ceterum ſi a melancholico humore flatus palpitationem efficiens excitetur, quemadmodum aliquando fieri experientia didicimus in melancholia Hypocondriaca: præparabitur ille cum ſyrupis de fumaria, de pomis, de Succo borraginis, de Epithimo ſeu ſyrupo conſeruationis corticum citri, in de-

Si à Melancholia.

coҁto fumariæ, pulegij, Borraginis, cuſcutæ, ſummitatum lupuli, Abſinthij, rad. polypodij & bugloſſę diſſolutis. purgabitur autem cum confectione hamech, diaſena, & diacatholicone: aut cum ſyrupo Ioannis Montani in hoc malo maxime efficaci, cuius deſcriptionem huic loco libuit adiungere.

℞ Myrabolan. omnium an. ℥ ß
polypodii querc. }
Foll. Senæ } añ ℥ i
Epithimi }
Liquirit. raſæ }
Garyophyll. } añ ʒ ij
Sem. citri }
Cort. helleb. nigri ℥ ß.

Myrabolana contundantur groſſo modo & macerentur ſpatio 24. horarum in ſeptem Libris aquæ fumiterræ: & ſi volueris medicamentum robuſtius in ſeptem Libris ſucci fumiterræ depurati. Huic infuſioni poſtea reliqua adduntur & bulliant ad conſumptionem medietatis, colantur, leuiter exprimuntur, & totum decoctum in ſex ſyrupos diuiditur, & vnicuique doſi miſcentur ſyrupi de fumoterræ ℥ i ß. Syrupi de corticibus citri ʒ ß. vt ſint decocti ℥ vi. Syru-

pi ℥ ii. hoc eſt legitimum doctiſſimi Montani apozema efficaciter admodum melancholicum humorem, affectuſq; ab eo excitatos debellans. Interim epithemata ſuperius enarrata, reliquaque tum electuaria tum orbiculi aut morſuli repetita adminiſtrabuntur ordine & modo quo in præcedentibus dictum eſt.

De curatione inflationis ventriculi. Cap. 19.

INflatio ventriculi, quam πνευμάτωσιν γαςρὸς nuncupant, eſt membranarum ventriculi, præter naturam a flatuoſo ſpiritu extenſio cũ dolore. In hac equidem fruſtratur propria ventriculi actio, quæ concoctio eſt, quod complectendi facultas non vndiq; cibos conſtringat, propter eius imbecillitatem, ſed locum quendam vacuum relinquit inter ventrem & cibos. Commouetur autem hic dolor magis interdum ante, interdum poſt cibum. Ante cibum quidem, quod vna cum intemperie vẽtriculi frigida, craſſa etiã viſcidaq; phlegmata in ipſius fundo innatant, a quibus oppreſſus, eneruatuſq; calor, dum euincere ſtudet, flatum eleuat diſtendendo magno-

pere infeſtum. Dolor interim ſedatur
nonnihil,dum vel ructus eduntur,vel pi
tuita euomitur. Poſt cibũ vero is ingra-
ueſcit magis, cum ſit a ſola intemperie
frigida ſine materia. Calor enim natu-
ralis ſua ſponte debilis, aut ciborũ ma-
xime frigidorum,& inflatiuorum copia
oppreſſus,ſub onere quodammodo ſuc-
cumbens eos diſſoluit,non tamen confi
cit,vnde inflationes ſuboriuntur. In hiſ-
ce curandis primus ſcopus,idẽq; cõmu-
nis,eſt,euacuari quod præter naturã eſt.
Secundus vero & inflationib.proprius,
vt tenuiſſimis & poteſtate calidis medi-
camentis,quæ corpus rarefaciendi, &
ſpiritum extenuandi vim habent,id per-
ficiatur.poſt idoneam itaq;victus ratio-
nem,quæ in ſex rebus non naturalibus
conſiſtit:quamq;ex præcedentibus faci-
le erit colligere.prima cura erit,vt aluus Curatio.
laxa ſit: idq; ſi non ſua ſponte, lenitiuo 1.
ſeu molliente clyſteri aut glande molliẽ
dum erit. Deinde (præſertim ſi pituita 2.
craſſa ventriculi fundo innatat) ex oxi-
melle ſimplici, aut ſquillitico cũ deco-
ctione Raphani, anethi, aut Atriplicis
vomendũ, interdũ ante, nonnunquam

etiam poſt cibum, prout æger facilis ſit ad vomendum aut difficilis: vt,

℞ Raphani conciſæ ℥ ii

conterantur in mortario, & affuſa aqua aut mulſa decoctione anethi ſuccus exprimatur, & tepide (tepida enim relaxādo vomitum prouocant) bibatur. aut

℞ Sem. Anethi	an. ℥ i ß	
Sem. Raphani		
Agar. pulueriſati	ʒ i	

Bulliant in ſufficiente quantitate aquæ ad dimidias, colaturæ vnciis ſex adde Syrupi acetati vel oximellis ſquillitici (ſi materia valde craſſa ſit) ℥ i. bibat, poſt paululum euomat pluma vel digito in

3. fauces immiſſo. Sin autem ob anguſtiā pectoris aliaúe de cauſa vomere nō poſſit, præparata pituita ex melle roſaceo, oximell. ſimplici, ſyrupo de ſtechade & decoctione foliorum rutę, pulegij, calaminthæ, hyſſopi, origani, ſeminib. calidis maioribus purgabitur catharticis phlegmagogis, pilulis aureis, pilulis de hiera cū agarico, de hiera ſimplici, elect. indo mai, benedicta laxatiua, aut id genus aliis quæ abunde prius recenſuimus, hac ratione expurgata pituita, habebit

infirmus in familiari vſu radices cōditas ⁊ zingiberis & helenij, & maxime quidē radices imperatoriæ crudas aut condi- tas, quib. quidem prerogatiuam omniū ſimplicium in hoc affectu & quaſi pal- mā facile tribuo. Deinde etiam quod cõ- pertimus, mirifice præſtāt Diatrionpipe- reō, diacalaminthum, dianiſum, diaci- namomum, Electuariū de baccis lauri, mithridatū & Theriaca, quodlibet per ſe, aut cum vino exhibitum. Cuminum pulueriſatum cum ſalis tantillo ex iure gallinę, aut vino fuluo propinatū efficax eſt, nec minus vinū decoctionis florum camemeli ſem. aniſi, aut cumini cū pul ueris nucis moſchatę momento, & oleo amigd. dulcium aut communi ebibitū iuuat, adeo vt dubitē ſi huic remedio al- terū par ſit. item caſtorij ʒ ß. garyophyl- lorū ℈ ß. in vino propinata: & poliū mō- tanū cum vino idem valent. Quin etiā a- cetum ſquilliticum propter vehementē quā habet incidendi facultatē, aut ex eo cōpoſitū oximel, ſi cū vino potente eius vncia vna bis de die bibatur, potētiſſime auxiliatur. Suillus talus ex Æginetæ ſen tētia crematus, & in potu ſumptus tor-

mina & flatus diſcutit. Idem potenter admodũ facit aqua ex cinamomo, in alẽbico vitreo ſecũdum Mathioli deſcriptionẽ diſtillata, per ſe aut cũ aquæ vitę aliquot guttulis ſumpta. Vinum etiam odoriferum cum pauxillo cinamomi & galangæ, aut vinum decoctionis roriſmarini, ſem. dauci, cumini, carui, baccis lauri & iuniperi: aut tale pro delicatulis, (de quorũ palato non minor, quam de ægritudine habenda cura eſt) vinum Hippocraticum præſcribemus.

Vinum

℞ Sacchari albiſſimi ℥ iiii
Cubeb. Gran. parad.
Galang. Zingib. an. ʒ i
Piperis longi ʒ ß
Cinamomi. ʒ iiii

Vini Cretici, Romani, aut alterius cuiuſpiam generoſi ℔ ii. colentur per manicam, fiatq; potus, quem ypocras vulgus appellat. Cæterum diligenti animaduerſione tam hic, quam in omnibus & prædictis, & deinceps dicendis obſeruandum, quod nullus omnino, aut exiguus admodum vſus ſit impenſe calidorum cum ſimpliciũ, tum compoſitorũ medicamentorũ, antequã cruda craſſa-

quæ pituita quouis modo vomitu aut purgatione ſit euacuata. Omnia enim acria, & abunde calida, ſi in dēſam atq; viſcidā pituitā incidant: flatus ſuſcitant, quos non diſcutiunt: quare dum curare ſatagimus, maioris moleſtiæ authores ſimus, & quæ alioqui poſt euacuationē craſſi humoris ſalubria ſunt, & maxime conuenientia medicamēta: illo adhuc in corpore ſubſiſtēte, euadunt pernicioſa. Caute itaq; ſe gerat medicus in horum adminiſtratione, nec minime negligenter: ne ſi forte leuioribus medelis malum non euincens, aut valentioribus perperam vſus, inflatio diutius perſeueret, ægrum in Tympaniten deiiciat, & mali medici nomen ſibi conciliet. Extrinſecus optimum eſt ventriculum arcte ligare, vt flatus impediantur, & melior fiat concoctio, ventriculi deinde regionem fouere ex oleo quod Rutam, calaminthain, Roſmarinū, vel quoduis ſeminū calidorum, cuminū, aniſum, apium, daucū, vel lauri baccas, aut eius folia incoctum habuit, vel eadem hæc in vino decoquantur, fotuq; facto, irrigetur vētriculi regio ex oleo, quod tenuio- Externa.

rum ſit partium, & potiſſimum ſi corũ copia ſit ex oleo macis aut garyophyllorũ. Nam præterquam quod ſua tenuitate meatus cutis ſubiectarumq; partiũ recludant: & flatus ſiquid aliud extenuent & diſcutiant: pulchre quoq; ventriculum corroborant, calfaciunt, ſuffocatum calorem reſuſcitant, & ſubſtantiæ quadam proprietate recreant. Vnguentum etiam longe vtiliſſimum ex ijs in hunc modum componi poteſt.

Vnguentum

℞ Ol. macis ℥ vi
Ol. abſinth.
Maſtich. an. ℥ iiii
Lig. aloes
nuc. moſch.
cubebarum
garyophyl. } an. ℥ ß
moſch. benzoini, croci an. gr. vi.

Redigantur in puluerem tenuiſſimum & cum ceræ quod ſatis eſt fiat vnguentum ſecundum artem, inungatur regio ventriculi calide ante paſtum. poſt fotum paulo antedictum, imo & poſt inũctiones non inutile erit ſacculum ex plumis anſerinis confectum applicare, aut eum qui ſequitur.

Sacculus.

℞ Origani, abſinth. menthæ an. M ß.

Sem.

Sem.milij, Aniſi toſtorum an.℥ß
Fl Camemel.lauandulæ
Anthos,furf.an.p i
Bacc.lauri ʒ i
Nucis moſchatæ ʒ ß

puluerizentur groſſo modo,& inſuãtur panno ſericeo raro & rubro,fiatq; ſacculus interbaſſatus in ſcuti ſtomachalis figurã. qui vino aliquo generoſo reſperſus & optime calfactus vẽtriculo applicetur. Hic varię formulæ medicamẽtorũ huic affectui haud inutiliũ forent inſerendæ, quas omnes breuitatis ſtudio lubẽs prætereo,vna excepta cucurbitula,quam bonę magnitudinis ter quaterue ſine inciſione ita medio ventri vt vmbilicum compræhendat affigere, in integrum ſæpe toto ſymptomate liberat. Item lapis molaris, aut later igne candens inuoluatur in linteum quadruplicatum quod prius in vino generoſo maduerit,ac calide dolenti ventriculo iungatur,quo tepeſcente alius ſimili modo præparatus ſumatur,ac ſic mutatis vicibus hic poſt illum adminiſtretur. Hæc ſunt,quæ de ventriculi inflationis curatione dicenda habui:quæ ſi prudenter,&

Lapis molaris

ex pręſcripto viri docti vſurpentur: non dubito fore quin paucis diebus liber ab omni moleſtia æger euadat.

De Melancholiæ flatuoſæ curatione. Cap.20.

MElancholia Flatuoſa multiplicē ob cauſam difficilis curationis eſt. Nam præter vehementē venarū meſeraicarum a craſſa crudaque materia, tum melancholica, tum pituitoſa, vnde contumaces perpetuo ſpiritus eleuantur, obſtructionem: maxima etiam intemperaturæ viſcerum inæqualitas ſubeſt. Huius quidem ratione non leuia accidentia ingruunt, excrementorum nēpe ſuppreſſio ab exiccante, & humiditatem exugēte calido hepate: difficilis ſpiratio a cōprimente ſeptū tranſuerſum inflato ventriculo: dolore ventriculi a flatuum diſtenſione & intemperie frigida, eructationes, vomitiones, & ſucceſſu tēporis ab obſtructione putredo, cuius venenata euaporatione perculſa mens deficit, & delirium accidit. Hæc partiū inæqualitas contrarias habet curandi indicationes. Iecoris nempe ardor refrigerationem, & ventriculi frigiditas calefactionē deſiderant. Deinde quæ me-

dicamenta craſſos humores valide incidendo, colliquando extenuandoq; pręparant, præparatos efficaciter euacuāt, & collectos ſpiritus diſſipant: pleraq; immenſe calida eſſe palam eſt. porro calida iecoris & venarum ardorem adaugent, auctior caliditas, quod ſubtile in humoribus eſt diſſipando, reliquum incraſſat, magis infarcit & impingit, flatuſq; copioſiores ex tali materia ſuſcitat: frigida e contrario medicamēta cōgelādo, humores condenſant, meatus conſtringūt & natiuum ventriculi calorem obtundendo, coctionem impediunt, cruditatem ſuggerunt, & flatuum procreationem promouēt. Quocirca vna curationis via ſupereſt, quæ per mediocriter tū præparantia, tū purgantia procedit. Atqui cū mediocritas hęc in graui & difficili affectu nihil laudabile præſtet: accidit, difficilem hunc morbum habere curationem, & plerumq; diuturnum eſſe. Verumtamē difficultas non deterreat, ſed intrepide affectui occurſando eiuſmodi enemate curatio auſpicetur. Enema.

℞ Rad. polipod. q.
Fol. Senæ, alex. an. ℥ i

Maluæ,parietar.
Betæ,caul.rub.an.M i
Fl.Camemel. p i
Sem.aniſ. ʒ vi.

fiat decoctio ſecundum artem ad medias.In colaturæ ℔ i. diſſoluantur diacatholiconis, Sacchari rub.an. ℥ i. Ol. anethini ℥ ii. Salis modicum.miſtis omnibus fiat clyſter.

Hunc ſi æger non admittat, ſumat ſequentem potionem laxatiuam.

Potio.

℞ Fol.Senæ orient. ʒ iiii
Agar.trochiſc. ʒ i
Zingib.Azari an. ʒ ß.

infundantur per horas xii.in aqua ſtillat. intibi latifolij,deinde coquantur cum drachma vna Seminis aniſi groſſo modo contuſi ad duas aut tres ebullitiones, poſtea exprimantur fortiter:in colaturæ ℥ iiii diſſoluantur,ſi diues ſit,mannæ ℥ ii. Syrupi roſ.ſolut. ℥ i.Si pauper,confect. Hamech. El.de dactylis an ʒ j.Syr.roſ.ſolut.℥ i.miſtiſque omnibus fiat hauſtus,detur in aurora.

Sequēti die aperiatur, ſi nihil impediat, baſilica dextri brachij, aut ſi magna ſit lienis obſtructio,ſiniſtri : extrahātur que ſanguinis vnciæ quinq; aut ſex plus vel minus pro virium robore & ſanguinis corruptione.Hoc facto ſequenti apoſemate cum pituitam tum melancholiā

reſpiciente(vt plurimum enim vtriuſq; humoris copia adeſt) præparanda erit materia. Apozema pparans.

℞ Radicum cichorii, helenii, polypodii quer.an.℥ i ß chamedr.cuſcutæ aſpleni,hyſſopi an. M i. Fl. Sambuci, Camemeli, an. p i. cort.radicum cap.& tamaricis an.ʒ vi.liquerit.raſæ ℥ ß.Sem. aniſi ʒ iiii. paſſul. ab arillis mundat P i.

Fiat decoctio ſecund.artem ad ℔ i ß.in colatura clarificata diſſoluatur Syrupi de cichorio cum Rhab. Oximell. ſ. añ ℥ ii aromatiſetur cum Sp. diatrionſant. Cinamomi an. ʒ i. fiatque apozema pro quatuor vicibus, ſumat ſummo mane. materia præparata ſit expurgabitur. Purgans

℞ Rhabarb.el.
Agar.troch.an.ʒ i
Foll Senæ alex.ʒ ii
Zingiberis,Spicæ ℈ ß
Cardamomi ℈ ß

infundantur in iure pulli per horas xij. exprimatur fortiter,in expreſſi colatura diſſoluantur

Conſ.Hamech. } an.ʒ i
Diaphœniconis }
Syrup.roſ.ſolelut.℥ i

Miſc.fiat hauſtus, vel ſumat ſequentem puluerem.

Puluis. ℞ Sp. Senæ pręparat. ℈ iiii. Rhabarb. ℈ ß. Diagridii gr. ij. Aromatic. roſ gr. viij. Sacchari ad pondus omnium, aut ʒ ij.

Puluerizanda in puluerem tenuiſſimũ redigantur, & cum iure galli decrepiti ſumat diluculo. Sequẽti poſt purgationem die abſtineat ab omni alia medicina, præter quam a ſequenti electuario, cuius ſumat vnciam mediam, & ſuperbibat aquæ mellis aut iuris caponis ℥ iiii. vel fiat elect. ſolidum in teſſellarũ figurã.

℞ Sp. Dialacæ ʒ i
Conf. e bacc. lauri
Diarrhod. abb. } an. ℈ i

cum ſaccharo in aqua borrag. & modico vini diſſoluto, fiant tabulæ, quarum quælibet ſit ponderis drachmæ vnius, ſumat teſſellam vnam in aurora: circa prãdium ſumat iuſculum galli decrepiti; qui cũ rad. polyp. borrag. fl. roriſmarini & calamintho decoctus fuerit, aut eius loco ſumat in prandio media hora ante alium cibum hanc ptyſanam.

℞ Hord. mund. quart. i. Rad. apij, fenicul. cichorij an. ʒ iij. cicerum rub. piſtaciorum, paſſul. de corinth. an. ℥ i. hyſſop. M. ß. coquãtur in aqua puriſſima ad ℔ i. ß.

lus coletur per manicam hippocratis cum vini albi.℥ vi.& addendo cinnamomi ʒ i.Sacch.q.ſ.fiat prylana. Hac poterit etiam vti in cœna.Sequentibus deinceps quatuor ex ordine dieb. iterũ præparabũtur humores iã dicto apozemate,aut alio qualitatem humoris peccantis reſpiciente, quod in imbecillo corpore ſemel, in robuſto autem bis ſoleo de die propinare, interdum etiam ſi ingens copia humorum adſit, alternis diebus duas aut tres ex hiſce pilulis media nocte ſumendis præſcribere. pilulæ

℞ Maſſæ pil.aur.
fœtid.an.ʒ ß
Trochiſc.alhand.gr.iiii

miſce &cum aceto,aut quod melius eſt oximell.ſcillitico fiãt pilulæ quinq;.mirum quam modeſte ſingulis diebus hæ aluũ ſoluant materiamq; ab apoſemate præparatam educant,abſumptis ſyrupis denuo purgabitur cum confectione hamech, pilulis de agarico fœtidis aut id genus aliis,quorum omnium formulas hic præſcribere longum foret. Syrupus quoque Ioannis Montani cap. 18. deſcriptus, huic affectui, potiſſimum

ſi ab humore melancholico ortum habet, inſtar omnium eſſe poſſit. Sufficienter vti diximus expurgato corpore, venit viſcerum inęqualitas corrigenda per medicamenta extrinſecus applicita, & primo ſi calida admodum ſit iecoris diſpoſitio, irrigabitur hypochondriũ dextrũ cũ ol. roſacei completi partib. duabus, olei abſinthij parte vna, & modico aceti. Vel oleo communi quod abſinthium, plãtaginem, nympheę flores, roſas rubras, ſantalum vel ſimile quiddam incoctũ habuerit. Sin autem huius mali præcipua cauſa in lienis obſtructione lateat: hoc decocto eius regio fouebitur

℞ Rad. ebuli, Rubiæ mai. an. ℥ ii
Calaminth. puleg.
Cetrach. fol. lauri } an. M ß.
Fl. Camemeli
Sem. agni caſti, ideſt viticis
Baccar. lauri an. ℥ i
Abſinth. communis M i

Bulliant in aqua extinctionis ferri pro fomento, abſterſus locus inungatur oleo de capp. ſolo, aut cum olei amigd. amar. æqualibus partibus miſto, aut linimento hocq; habet.

℞ Ammoniaci

Bdellii an. ℥ ii
Galbani ℥ ß

diſſoluantur in aceto acerrimo, deinde cum ol. capp. ol. aneth. pinguedinis anſerinæ an. ℥ vi. fiat linimentum. Interim dum hæc aguntur, habebitur etiam ratio ventriculi, & flatuum in eo cõgeſtorum, quod cum variis medicamentorũ formulis, fomentis, linimentis, quarum præſcriptiones ex cap. de ventriculi inflatione huc transferre liceat, fieri poſſit: optime tamen cum eiuſmodi ſacculo præſtabitur. Ventriculus

℞ Menth. M i. calaminth. origani an. M ß. fl. Camemeli, fl. roriſmari. ſtechad arab. an. p i. abſinth. m ß. maſtich. ℥ i, Cinamomi, Garyophylli, ligni aloes, Galãg. coral. rub. añ ℈ i. Pulueriſentur groſſo modo, & commiſtis omnibus fiat ſacculus interbaſſatus pro ſtomacho, cõſpergatur vino maluatico, aut alio quouis generoſo, & calide applicetur, recalfiatq; interdũ. Singulis diebus accipiet cum ſyrupis ad obſtructionis apertionem, & flatuũ diſcuſſionem, teſſellã vnam ſolidi iſtius el. quod prius deſcripſimus, enemata quoq; flatuum craſſitiem carminantia, & con-

ſtrictam aluum prouocantia, a præſente medico erunt præſcribenda.

De colici doloris curatione. Cap. 21.

COlici doloris curationem hic delineaturus, pauca beneuolum lectorem præfationis loco admonere, animus eſt. Primo non expectet hoc capite alterius ſpeciei colicæ affectionis curationem, præterquam illius, quæ a ſolis flatibus eſt, aut ab his cum vitrea pituita continente cauſa coniunctis. Secundo quod ſtudioſe admodum & prudenter eius curatio ſit inſtituenda, perperam enim curatus, cauſa cur arthritis ſequatur eſſe ſolet, facilisq; ex hac, teſte Hippocrate, in illum relapſus. Cuidam inquit inteſtinū colon vocatum ſimulatq; articulari morbo detinebatur, dolore vacabat: poſtquā vero ab eo ſanatus eſt malo, plus doluit. Tertio quod venę ſectio magnū momentum adferat, adeoq; neceſſaria, modo affectus vehemens excruciet, & plethora vel febris adſint. Quarto quod in huius curatione ab impenſe calidis cane peius & angue abſtineatur, ſaltem ante pituitæ vacuationē. Quinto quod præcipuus curationis ſco-

Notanda. 1. 2. 3. 4. 5.

Lib. 6. epid. part 4. aphoriſ. 3.

pus in enematũ vſu cõſiſtat. Sexto quod 6
cucurbitula nihil conſideratione dignũ
adferat, niſi oportuno tẽpore & idoneo
corpori affigatur. Cum itaq; medicus ad
huius curationẽ accerſitur, diligẽter cõ
ſideret, nũ ex phlegmone coli alteriuſue
inteſtini, aut bilioſis humorib. interiorẽ
eorũ tunicam erodentib. an a vitrea pi-
tuita, vel diſtendente ſpiritu enaſcatur.
Si ab his denuo obſeruandum vehemen
tiſſimus ſit affectus, vel moderatus, idq;
cũ plethora vel ſine hac. Si vehementiſſi
mo dolori coniũcta ſanguinis copia eſt,
ilico poſt excremẽta emolliente clyſte-
re educta vena ſecanda erit, ſanguiniſq; Venae ſectio.
quantitas pro præſentis medici iudicio
extrahenda. Metus enim eſt ne vehe-
mens ille dolor ſanguinẽ trahendo inflã
mationem excitet, vel conturbando fe-
briẽ efficiat. Sanguine euacuato, validis
enematis ex hier. ſ. Electuario indo mai. el. Indum majus
aut hiera logodio paratis debet pituita
in inteſtinis collecta expurgari, nullo e-
quidem remedio cõmodius id fieri po-
teſt. Cum enim morbus ipſe, eiuſq; cau-
ſa in inteſtinis, & potiſſimũ colo ſint, ni- *Lib. v.*
hilque per os ſumptum teſte Gal. poſſit *meth.*

integris viribus ad inferiora pertingere
Clystrum vsus clyſter autē quod optamus ſine vlla moleſtia vel periculo valeat proficere: quis quęſo tam abſurde iudicet, vt vnum clyſterem ceteris omnibus medicamentis non præferat, pręſertim cum quæ per os ſumūtur calidiora ſint neceſſe eſt (morbus enim frigidus & contraria contrariis curantur) maioreque copia ingerantur ſi commodum vllum ſint allatura. Atqui calida omnia quia tenuium partium ſunt, facile permeāt venas meſeraicas. His, iocinorique calidam intemperiem inducunt & fundunt ſanguinem. porro caliditas viſcidum glutinoſumq; phlegma colliquans, flatus eleuat malum malo accumulans: & generoſum alioqui remediū ſi bene vſurpetur nocentiſſimum abuſu fit venenum. Quare author ſum improuidis hiſce medicis, vt in poſterum cautius ſuam Theriacam, mithridatū, diacalaminthū, aliaq; valde calefacientia colicis propinent, antequā vitrea pituita craſſis inteſtinis impacta fuerit expurgata, quinimo ne tum quidem vacat periculo frequentior eorū vſus. Tutiſſima ſane ad-

niniſtratio & ſanitatis citiſſima recupe
atio in clyſteribus rite apparatis conſi-
it: primus ergo emolliens eſto ad fæ- Emolliens
um communium eductionem.

℞ Diacathol. ʒ x.
Hier. ſ cum mell. ℥ ß
Sacch. rub. ℥ i
Salis communis ʒ i ß.

Diſſoluantur in ℔ i. decoctionis rad. altheæ
quinque herbar. emollientium. Fl. Came-
neli, furf. cicer. rub. & fiat enema.
quo eiecto, fæcibuſq; eductis infundatur
ex Galeni ſententia lib. 2. ad Glaucon.
oleũ aliquod tenuiũ partium, quale eſt
rutaceũ, laurinũ, aut commune, in quo
incocta fuerint medicamenta, quæ cum Attenuans
partiũ tenuitate calfaciunt, quale eſt cy
minũ, apij petroſelinią; ſemen, feniculi,
aniſi, libyſtici, ſeſelis, dauci & ſpondilij,
ruta deinde & lauri baccæ, admiſcebis
quoq; bitumẽ, quæq; ſimili calfaciendi
facultate ſunt prædita, aut ad valentio- phlegmagogus
rẽ pituitę eductionem hoc ſubſtituatur.

℞ Calaminth. puleg. tanacet. an. M i
Fl. Camomillæ p i. Sem. cumini,
Dauci an. ʒ iii. bacc. laur. p ß.

In decoctionis colatæ ℔ i. miſceantur Oxi-
mel. ſquil. ℥ i. Ol. rut. aut eius in quo prius di-

cta medicamenta incocta fuerint ℥ iii. E lect.indi.mai.ʒ vi.hier.logod.ʒ i. fiat clyſter Hęc ſi percurauerint, bene eſt. Sin minus, eadē repetantur, aut aliter ſecundū affectus magnitudinem, materiæ pituitoſæ quantitatem, flatuum copiam, aut ægri debilitatem componantur: hoc tamen perpetuo obſeruato vt ab iniecto clyſtere infirmus in partem magis dolētem decumbat. Interim per os ſumentur moderate calida, vt eſt decoctum fl. Camemel. in aqua fontana, aut ſi velis præſtantius in vino albo tenui, mirificū enim auxilium hoc præſtat in colica affectione, quemadmodum etiam ius decoctionis cumini per ſe, aut cum iam dictis camomill. floſculis. Hiſce iuſculis ego ſoleo nonnunquā admiſcere vnciā vnam aut alterā ol. amigdalarū dulciū recenter expreſſi, aut ſi huius copia non ſit, olei communis, aut ol. Seminis lini quod præſtātiſſimū eſt cochlear vnū adiicere, oleū etiā amigd. dul. ab expreſſione adhuc tepidū per ſe ad ℥ iii. vel quatuor vtiliſſime bibitur. Nec plebeiū hoc remediū minus efficax eſt quod ſic habet.

℞ Vini Rhenenſis ℥ iiii aut quinque

Interna.

Nucis miriſticæ ʒ i. aut ℈ ij
Ol. communis cochlear vnum.

miſtis omnib. cum ſaccharo, bibatur calide. In hiſce potionibus non temere additur oleum, id enim præterquam quod anodynum ſit, latera etiam ventriculi & inteſtinorũ impinguat, ſua vi emplaſtica venarum oſcilla obſtruit, trahendi facultatem eneruat, efficitq; vt dolorẽ ſedantia, frigiditatem corrigẽtia, flatuſq; diſcutiẽtia medicamenta, citius ad locũ affectum penetrent, nec tam auide a venis abſumantur. Ceterũ cum hic morbus ſua ſpõte nauſeabundus exiſtat, oleumq; inſuper multis nauſeam & vomitũ promoueat, his qui eius vſum aſpernabuntur ſequentia conuenient. Olea cur potionib. addantur. Potiuncula

℞ Summitatum abſinth. vulgaris p ß. Sem. cumini ʒ ii. fl. Camemeli, anthos añ p i. Cubeb. ʒ ß.

Coquantur in vino odorifero: Ius decoctionis coletur per manicam cum ſacchari & cinamomi conuenienti pondere, vtatur. Caſtorei etiam ʒ ß. in vino cũ cinamomi & croci tantillo diſſoluta efficax eſt. At quibus ita venter flatu diſtenditur vt ægre curationem admittat, Castoreum

aut torminibus vexatur atq; ſingultu, idq; ob frigidos viſcoſoſq; humores, aut craſſos nebuloſoſq; ſpiritus, eos ex oxicrato potũ iuuat. hæc ſic adminiſtrata, & ſi opus fuerit repetita, vt plurimũ integre reſtituunt. Sin autem contumacior affectus ſit, aut ęgri enematum vſum nõ ferãt, aut deniq; ex toto corporis habitu in inteſtina pituitoſi humores defluant: phlegmagoga moderate purgãtia, poſt quã ad expulſionem habilis pituita ſit reddita, præſcribẽtur, quorum formulæ ex præcedentib. huc erunt transferẽdę. porro ſi vna cum purgantibus pharmacis narcotica (ad quæ in ſummis doloribus confugere oportet) commiſcere eſt animus, ſic erit progrediendum.

Si affectus contumacior.

Narcotica.

Bolus

℞ El. Ind. mai. ʒ vi aut ʒ iiii
Trochiſc. alhand.
Caſtorii, Opii. an. gr. iiii

miſce & cum ſaccharo fiat bolus, vel fiat talis infuſio.

Haustus.

℞ Agar. trochiſc. ℈ iiii.
Zingiberis ℈ i.

infundantur in decocto pulegii, Hyſſop. fl. anthos & camemeli ad horas xii. in expreſſione diſſoluãtur diaphœniconis

ʒ iii.

ʒiii. philonii perſici ad minus annotini ℈ i aut ʒ ß. aut ſi vetuſtum ſit, & vigoris expers ad maius pondus aſcendere licet. fiat hauſtus cum ſaccharo quantum ſatis eſt ad conciliandam ſuauitatē. in formam etiam pilularū redigi poſſunt. Pilulæ

℞ pil. de hier. cum agar. ℈ii
maſſæ pilul. coch ℈ i
Diagrid. caſtor Opii añ gr. iii.

Cum vino fiant pilulæ ſeptem, ſumat. Hac medicandi ratione triplex cōſequimur commodum, pituitā ipſam expurgamus, flatum diſcutimus, & dolorem ſopimus, qua ſane nulla commodior feliciorue curandi via in grauioribus his doloribus excogitari poteſt. Galenus in hoc affectu narcotica perſe prębet. quod ſi, inquit, dolor perſeueret, medicamentis ex opio quale eſt Philonis Tharſenſis omnibus medicis cognitum, vti non formidabis, etiamſi neceſſario noxam aliquam afflictis partibus ex his acceſſurā non ignores, ſed certe ei quod magis vrget obſiſtendo, hominem doloris vehementia animo delinquentem cum parua noxa ſeruare ſatius erit: nam ſequentibus deinceps diebus offenſionem me- *Lib. 2. ad Glau.*

dicamento cõtractam emendare poteris. Si ergo cuipiam ſimili ratione placeat narcotica medicamenta propinare, det philonij Perſici in vino maluatico diſſoluti ʒ ß, aut ℈ ii, etiam drachmã integram pro affectus magnitudine: aut pilulas Rondeletij, quarum deſcriptionem huic loco lubuit inſerere.

Philonium Perſicum.

℞ pulueris diagalang.
Aromat. roſ. añ ʒ ii
Caſtorij ʒ ß. Euphor. gr. x.

Opii diligẽtiſſime contuſi cum paſtillo ferreo calido, diſſolutiq; in vino maluatico ℈ i ß piperis, croci, myrrh. an. ℈ ß. formentur pilulæ decem pro drachma, capiat quatuor aut quinq;. quod ſi nõ ſedetur dolor, dentur nouẽ aut decẽ. Sunt autem conficiendæ paruæ & molles vt citius diſſoluantur, citius dolorẽ conſopiant, & minus in vẽtriculo remorẽtur. cauendum interim vnice ne iam dicta opiata, aut vllum aliud præbeantur niſi prius idoneis euacuationibus corpus perpurgatum ſit: & aliquot horis ante paſtum ieiuno ſtomacho, necnon in extremis doloribus & cum alia anodyna ſine vtilitate ſint adminiſtrata. Colicus

Obſervatio in Narcoticor. uſu.

dolor a ſolis flatibus excitatus medicamenta nec præparantia nec purgantia requirit, ceterum enemata dolorem ſedantia & ventoſitates carminantia & diſcutientia conueniunt. huiuſmodi ſunt: Colica à ſolis flatibus clysteres

℞ Ol. lini, decoctionis fl. camomill.
& cumini an. ℔ ß.
Confect. e bacc. lauri ʒ ii
Diacathol. & Sacc. rub. an. ℥ i.
Salis gemmæ ℈ ii.

miſtis omnibus fiat enema. ad dolores ſedandos efficaciſſimum eſt. magis carminans tale eſt,

℞ Rad. helenij ℥ iii
Calaminth. pariet. an. M i
Sem. Aniſ. Cumini, cardamo. an. ʒ iii
Bacc. Iunip. Bacc. lauri an. p i

Bulliant in ſ. q. aquę ad mediæ partis conſumptionem: in colaturæ ℔ i. addantur vini maluatici aut cretici ℥ iiii. diacalaminth. ʒ iii. ol. rutac. ſeu ol. nucum ℥ iii. fiat clyſter.

Vel.

℞ Vini albi in quo coxerint cuminum, aniſum, baccæ lauri & ſimilia ℔ i.
Infundatur calide. per os quoque hic paulo calidiora quam in colica paſ-

Interna. ſione ex pituita admittũtur. Quare præter ſuperius dicta, vtiliſſima etiam ſunt, confectio e baccis lauri, diacyminũ, diatrionpip. quodlibet per ſe in tabellis, aut alia quauis forma ſumptum, aut in vino Externa diſſolutum. Extrinſecus varia conducunt, & cumprimis cucurbitula oporCucurbitula tune vſurpata. Oportunus autem eius vſus eſt, vt iis dumtaxat corporibus applicetur, quæ a ſolis flatibus excruciantur, & abdomen non admodum pingue, craſſum & diſtentum habent. In quibus nanque vitreæ pituitæ copia ſubeſt, infructiferum eius vſum vel millies expertus ſum: dolor enim qui pali infixi ſimilitudinem habet non a flatu, ſed ab intemperie frigida pituitæ naſcitur: quamdiu itaque eodem in loco perſiſtit pituita doloris cauſa: tantiſper durabit & dolor eius effectus. Cucurbitula autem pituitã non euacuat, ergo nec dolorẽ tollit. In pingui & multum craſſo abdomine raptu vehementiſſimo oſculum ſuũ illa carne & adipe adimplet prius quam vis attractrix ad inteſtina deſcendat, flatuique hoc modo via intercluditur. Sed quid miramur hęc? cum ſola abdominis

a flatu diſtendēte (vt in tympanite accidit) durities efficax cauſa ſit impediens quominus trahentem cucurbitulam flatus ſequatur. Atqui ſi oportune (vt diximus) larga, cum multa flamma applicetur, videbitur profecto incantamenti cuiuspiam ſimile quiddam efficere. Sacculi etiam componuntur ex milio, furfure floribus lauandulæ, camemeli, anethi & calamintho in ſartagine frixis vino vel aceto irroratis, qui calide alter poſt alterum imponantur. vel ℞ Stercoris caballini recentis quantum ſatis eſt, & cum oleo lini, chamemeli, anethi, fæcibus olei communis, aut cum vino & fl. pſeudonardi formetur emplaſtrum ad ignem in frixorio, admoueaturque loco dolenti quam fert calidiſſime. Lateres item calfaciunt nonnulli, & linteis vino madentibus inuolutos imponunt. Eundem vſum habent aſſer quernus calide impoſitus, & panis e furno calens, filum etiam ex lixiuio coctum cum cineribus calidum admouetur: porro infinita alia ſunt non ſine ratione huic malo inuenta remedia, fomenta, balnea, inſeſſus, illitiones, cataplaſmata, & id genus alia, quæ

tempeſtiue adminiſtrata iuuãt: intempeſtiue autem, non modo non iuuant ſed maxime nocent. quare grauiſſimus author Galenus hanc noſtram ſententiam cõprobãs ſcribit in hęc verba: Calfacere pręcordia cataplaſmatis, aut perfuſionib. non eſt perpetuo tutum, ſed in ijs tantum ægris quibus in toto corpore nullum errat ſuperfluum. Ceteris omnibus extrema eſt pernicies. Iterũ. Quopacto igitur dolores eos quos frigidus humor in medio inteſtinorum interclusus excitauit, ſanare conueniet? Sane non perfuſionibus & cataplaſmatis quę valenter excalfaciant: Quippe lenti omnes, craſſique & frigidi humores, ab ijs quæ calfaciunt niſi etiam valenter digerent, liquantur ac in flatum mutantur. Oportebit igitur eos incidere ſimul & concoquere, quas res tenuãtia medicamenta præſtabunt. potiſſimum tamen ſi calida vehementer non ſint. Quod autem horum quoq; ipſorum ea maxime deligenda ſint; quæ magis flatum diſcutiant, magiſq; ſiccent nemini poteſt dubium eſſe, quorum formulas ex iamdudum dictis abunde ſatis didiciſti.

Meth. med. lib. 1.

Lib. 2. method.

A frigida causa.

Hic forent etiã amuleta a proprietate Amuleta.
ſubſtantiæ auxiliantia, galerita auis, ta-
lus ſuillus combuſtus ac deinde bibitus,
inteſtinum lupi ſiccatum, tritum, cum
vino ſumptum, pellis eiuſdem vẽtri ad-
mota, ſtragulæ ex eadem & cingula con
fecta, item lupi ſtercus album ex vino po
tum vel nucula incluſum, & e collo vt
ventrem contingat ſuſpenſum, aliaque
multa inſerenda. atqui cum ab aliis vel
ad nauſeam hæc ſint inculcata, breuita-
tis ſtudio lubens prætereo.

De flatuoſæ obſtructionis hepatis curatione. Cap. 22.

OBſtructio vitium eſt omnibus viſ-
ceribus familiare, nullis tamen
magis quam iecori & lieni. fit autem cũ
humor craſſus, pituitoſus aut melãcho-
licus tenuiſſimos venę portæ ramos per
iecoris ſubſtantiam diſperſos infercit,
nec humor dumtaxat, ſed & ſpiritus ne-
buloſus ſubinde ſua craſſitie in tantam
molem iecur effert, vt veluti a ſchirro
totum hypochondrium intumeſcere
videatur. Nec mirum tantã obſtructio-
nẽ a flatu cui exitus non patet, generari
in hepate, quod tenuiſſimis dũtaxat ve-
nulis meatibuſq; dotatũ eſt cũ ampliſſi-

ma inteſtina adeo plerūq; a ventoſitate obſtruantur, vt penitus nihil per anum egredi queat. Quare Arabum hęc ratiocinatio: ventoſitas groſſiſſima ſubtilior eſt quā chylus ſubtilis, ſicut ventus ſubtilior eſt aqua: Sed chylus tenuis, concoctus, & pro naturæ ratione affectus iecur nō obſtruit: ergo nec flatus eius opilationem producere poteſt: futilis eſſe merito judicabitur & inefficax, quod hinc præter reliquas rationes validiſſimas, neceſſario ſequeretur, a nebuloſo flatu inteſtina nunquam (quod tamen doctorum virorum monumēta & quotidiana experientia teſtantur) obſtrui, cum craſſiſſima trāſmittāt ſtercora. Iecur itaq; obſtruitur, aut a ſolo flatu, aut ab hoc vna cum humore viſcido cōiuncto. Atqui ſummo ſtudio hic animaduertendum, ne cum obſtructum iecur a flatuoſo ſpiritu accuſamus, vitiū in colo ſit. Colō enim inteſtinum ſub dextra ilium regione ſitum, tantopere interdū a pituitæ & flatuum multitudine diſtenditur, vt totum hypochondrium intumeſcat. Verum haud difficile eſt ex prædictis, hos affectus internoſcere. quare

Jecoris obstructi causa

breuitati conſulentes curationẽ huius flatuoſæ obſtructionis deinceps proſequamur. Si itaque a pituita cum flatu fiat, ſequenti apoſemate præparanda erit materia. A pituita cum flatu. Apozema.

℞ Rad.helenii, Rubiæ mai. Azari an. ʒ vi
Cort.rad.ebuli, cort.capp.añ ʒ iiii.
Chamedr. Aſpleni. hyſſop.añ M j
Abſinth.rom. M ß.
Sem.dauci, Aniſi, añ ʒ iii.
Bacc.Iunip.paſſul.corinth.añ p j

coquantur ſecundum artem in ſufficiẽti quantitate aquæ ad mediæ partis conſumptionem. Colaturę clarificatæ ℔ i ß adde ſacchari quod ſatis eſt ad conciliãdam ſuauitatem, & aromatiſetur cũ cinamin. ʒ i ß. ſumat quatuor vicibus. aut

℞ prædictæ decoctionis ℥ iiii. Syr. de calaminth. ℥ i. Oximell. ſcil. ʒ ii. miſc. pro vna doſi, & ſic pro aliis tribus. Deinde Tabulæ

℞ Sp.dialacc. ℈ ij
Sp.el.de bacc.laur.
Diarrh.abb.añ ℈ ß

cum ſaccharo in aqua feniculi & modico vini albi diſſoluto, fiant tabulæ pondere drachmæ vnius: ſumat tabulã vnã cum Syrupis, præparata materia hoc aut ſimili phlegmagogo exprugabitur.

phlegmagogum.

℞ Turpet opt. ℈ ii
Zingib. ℈ i
pul. Senæ præpar. ʒ ß.

fiat puluis tenuiſſimus & cū ſacchari ʒ ii ſumat diluculo in iure caponis. aut ſic,

℞ Agar. troch. ℈ iiii
Zingiberis ʒ ß.

Infundātur per horas xiiii. in aquæ betonicę ℥ iii: poſtea exprimatur fortiter, in expreſſo diſſoluātur El. indi. mai. ʒ iii. Syr. de quinque rad. ℥ i.

Et fiat hauſtus vnus in aurora ſumēdus. poſtridie purgationis ſumat ſequens Electuariū.

℞ Theriac. vet. ʒ ß
Conſ. fl. roriſmar.
Conſ. fl. Borrag. añ ʒ i. Miſce.

Si quid deinceps materiæ raliquum fuerit, iterum id præparandum & expurgandum. hocq; agendi ordine non minor flatuum & roboris viſcerum, quam pituitæ vacuandæ habebitur ratio. Porro a ſolo flatu diſtenſio hypochondrii diuturna non eſt ſine pituitæ effluxu. dolor enim aſſiduus hanc prolicit, meatuum extenſio admittit: & illius imo vtriuſque frigiditas iecoris hemoptoſin debilitat, vnde ſenſim crudi humores coa-

A ſolo flatu.

ceruantur. Quocirca ſuadeo vtriuſque rationem perpetuo medicus habeat: potiſſima tamen cura verſetur circa id quod magis vrget. Velim itaque etiam 1.
tum cum a ſolo flatu affectus ſit aluus leni enemate, aut cathartico quod potius lubricando ſoluit, quam violentius moueat, reddatur fluxilis, & apoſematis 2.
incidentibus, teſſelliſque nuper dictis viſceris infarctus exobſtruantur. Tum de- 3.
mum ad flatuum diſſipationem conueniet vinum tenue quod cuminum, aniſum, cubebas, grana Iuniperi, cardamomum & canellam incocta habuit, vel 4.
vinum in quo Sp. diacurcumæ & Theriacæ an ℥ ß. diſſoluta ſint ebibere, vel ſequens Hippocraticum.

℞ Theriacæ mediæ ætatis ℥ i
Cardamomi, cubeb. an ℈ ii
Canell. ℥ iii. Sacch. albiſs. ℥ iiii
Vini Rhenen. maturi ℔ ii.

colentur per manicã Hippocratis. Caute tamen, quod etiam in præcedentibus ſubinde admonui, eſt his calidioribus vtendum, iis potiſſimum qui vel plethorici ſunt, vel iecur natura, vel victus ratione calidius ſortiti. Regio iecoris fo- 5.

uenda eſt vino decoctionis abſinthij, pulegij, baccarum & foliorum lauri: aut ex oleo quod rutam, abſinthium, radices ciperi & galangæ incocta habuit. Item ſacculi applicandi: & cucurbitula larga bis terue cum multa flamma apponenda, non prius tamen quam pituita perfecte ſit euacuata, alioqui periculum eſt, ne pituitam multo contumacius impingat, & veri ſchirri cauſa fiat.

De curatione flatuoſæ obſtructionis Lienis. Cap. 23.

Lien ſæpe tangēti reniti videtur (teſte Gal.) tametſi ſchirroſus minime ſit, ſed potius flatulentus. flatuoſæ huic obſtructioni eadem propemodum remedia debentur quæ iecoris. Atqui cum magis contumax ea plerunq; ſit & longius diſſita: peculiaria quędam & valentiora tū apoſemata tū cathartica pharmaca ſi humores groſſi vt fere fit adſint, deſiderat. Cortices itaq; rad. capparum, tamaricis & ebuli cortex medianus fraxini, ſcolopendrium, lingua ceruina, centaurium minus, polypodium, ſemina calida, & viticis, epithi. Sena, Acetum ſcilliticū, Oximel ſcilliticum, oximel diureticum, Syr. de fumaria, & id genus alia

Lien flatulentus

Curatio.

1.

conueniunt: ex quibus apozemata inci
dentia,& flatus diſcutientia conſtrui, &
deinde confectione hamech diaſena & 2.
El. Indo maiore humores expurgari po
terunt. Fomenta inſuper ſint valida, prę- 3.
ſertim ſi a groſſis & contumacibus fla-
tibus infartus fiant, ex vino potente cũ
abſinthio, baccis lauri, ruta & ſeminibus
calidis cocto, aut ſi mauis (vt ego inter-
dũ facere ſoleo) ex aceto forti, quod ſe-
mẽ agni caſti vulgo appellatum, rutam,
calaminthum, Baccas lauri, marrhubiũ,
Centaurium minus, flores geniſtæ, radi-
ces ebuli aut iridis incocta habuit. Nec
præter rationẽ erit, ſi prædicta minime
ſufficiant, lienis regionem fouere cũ lixi
uio ex cineribus braſsicæ, ilicis, aut faba-
rũ confecto, cui ſi lubet aquę vitæ & olei
amygdalarum amararum tantillũ adii-
cere potes. Deinde imponẽdũ eſt empla
ſtrum miſtę facultatis: quale eſt quod ex
ſulphure & alumine conſtat. Porro ſi fla
tuũ nõ tãta copia ſit, iiq; ſint tenues ſine
fouente materia, & habitus deniq; cor-
poris rarior, quæ ſemel hic admonuiſſe
per omnia ſufficiãt: leuiora tũ intus tũ
extra medicamẽta adminiſtranda erũt,

ſępeq;ſola cucurbitula ſatis fuit applicā-
ta. quare huic capiti finem imponens le-
ctorem ſi qua forte hic deſiderata requi-
ret, ad caput præcedens relego.

De curatione Tympanites. Cap.24.

Tympanites. TYmpanites tertia Hydropis ſpecies a flatu fit ab imbecillo calore genito, cuius quidē ſuperflua collectio inter peritoneum & omentum aliaſq; abdominis membranas ſe inſinuans, totum id violenter diſtendit, & in maximam molem effert, nullis indiciis quam rugitu, & ſonitu tympani dum vngue percu-
procreatio titur notior. Principium leue eſt, ſola nempe inflatio quæ diſcuti non potuit. inde flatus dēſiores effecti veluti in nubē, tandēq; in aquā concreſcunt: vnde vna cum nebuloſo flatu ſenſim humor colli-
Curatio. gitur. Curatio itaq; poſt bene inſtitutam victus rationem quam ex præcedentib. habes, ab humoris concoctione, eiuſque euacuatione auſpicāda erit, ſummopere cauendo ne valentioribus medicamentis meſereo, chamelæa, colocynthide, brionia, titimalli ſpecieb. aut Antimonio, quod multi faciunt, imbecillum calorē ad internecionē ducas. Manifeſtum

enim eſt quãta vi pharmaca, necdũ diutino & graui morbo afflictis, ſed etiã robuſtiorib. corpus cõcutiant, quam moleſtas tortiones inferant, vires proſternãt ac ſpiritus reſoluant, cũ tamen econtrario hoc potius ſit agendum vt natiuus calor robur acquirat, quo quod naturæ noxium eſt euincat & expellat. Hunc igitur in modum materia præparabitur. Præparatio.

℞ Rad. Imperat. helenii
Rubiæ mai. Cort. rad. ebuli an. ʒ iii
Rad. Irid. Azari an. ʒ ii
Origani. Calaminth. an. p i
Soldanell. ℥ i. gratiol. ʒ ii
Sem. Aniſi. bacc. lauri an ℥ ß.

Bulliant ſecundum artẽ in duab. partib. vini & vna aquę. aut vino integro, in balneo marię bene obturato ad horas tres aut quatuor: poſtea coletur, & dulcoretur cum ſaccharo, bibatque mane & veſperi cyathum vnum, deinde vacuetur Purgatio. cum pilulis ſequentibus.

℞ Maſſ. pil. de hier. cum agar.
Turpet, Rhabarb. el. an ℈ ii.
Soldanell. ʒ i, Rad. aſari ℈ i.
Trochiſc. alhãd. Succ. cucumer. aſinini in dieb. canicularib. a Gordonio præparati.
Nucis moſch. Galangę

Canell.piperis,cubeb.an.℈ ß.
Redigantur hæc omnia in puluerem tenuiſſimum & cum ſucco iridis per reſidentiam defecato fiat maſſa. ℞ huius maſſæ ʒ i & cum oximell.ſcillitico fiant pilulæ quinque:ſumat media nocte: aut
Pil. de Soldanella. vtatur pilulis noſtris de Soldanella dictis in hoc affectu & omni hydropis ſpecie efficaciſſimis.

℞ pil. Aggregat. ʒ i, Trochiſc. alhand. ℈ ß. Summitatum Soldanell. & Gratiolæ & Cinamomi tenuiſſime pulueriſatorum an. ℈ i. Cum ſucco rad. iridis, fiant pilulæ ex drachma quinque,ſumat duas ad ſummum tres pro doſi,circa mediam noctẽ. Repetatur ſubinde ſupraſcriptum apozema,vna cum pilulis, ſiquidem non minus illud flatus ſubtiliat & diſcutit, quam humores hæ præparant & educunt. interim ventriculus reliquaque
Roborantia. viſcera his electuariis erunt corroboranda:

1. ℞ Succ.rad.irid, ʒ iiii
Canell.galangæ an.ʒ ii
Caryophyll.macis an.ʒ i
Zedoariæ ℈ ii Soldanell.℥ ß
pulueriſentur, & cum melle deſpumato miſceantur in formam Electuarii,ſumat

mat alternis vel etiã ſingulis dieb. quãti-
tate nucis pont. Vel hoc quod ſequitur.

℞ El. de bacc. laur. ʒ iiii
Conſ. rad. helenij ʒ ii
Sp. dianiſi
Diagalangæ
Diacimini an. ℈ i
Ol. Iuniperi ʒ i

Miſc. & cũ ſyrupo de ſtechade fiat cõdi-
tũ. vtiliſſima etiã erit ſequẽs potiũcula. 3.
℞ Aq. cinamomi in alembico vitreo artifi
cioſe diſtillatæ ℥ ii. Aquæ vitæ ʒ iiii. Olei ani-
ſi aliquot guttulæ.
Miſce, bibatur ieiuno ſtomacho. Imperã- 4.
tur etiam pulueres a paſtu ſumendi, vt
ventriculus a crudis humoribus perfri-
geratus modice calfiat, facilius conco-
quat, flatuſque diſcutiat, vt,

℞ Aniſ. cond. ℥ iii.
Feniculi ℥ i ß
Coriand. pręp. ℥ ß
Cumini
Carui
Seſel. in vino generoſo maceratorũ an. ℥ i
Cort. citri ſicc.
Cinam. craſſi an. ℈ iiii
Sacch. roſ. tabulati ad pondus omnium.

miſce, fiat puluis, ſumat cochlear vnum
poſt paſtũ, nec bibat amplius. Euacuatis

humorib. viribuſq; refocillatis ſumma ſtudio veniunt flatus excutiendi, quod
Carminativa mirifice præſtabit decoctum ſequens.

℞ albi Græci, hordei integri an. ℥ i ß. Coquantur lento igne in ℔ trib. aut quatuor vini albi gallici ad hordei crepaturã. Coletur: colatura per reſidētiã defecata denuo coquatur ad medietatis cõſumptionē: poſtea clarificetur, & aromatiſetur cũ cinamomo ſufficiente, & dulcoretur cũ ſaccharo. Huius decocti propina vncias quinq; ter de die ieiuno ſtomacho, emittetq; mirabiles bõbos, & ſenſim venter ſubſidet. Huc etiam faciũt conf. e baccis lauri, diacyminũ, diagalãga, diatriõpip. diamoſch. dul. aliaq; innumera flatui diſcutiendo appropriata. Verũ quod alias admonui iterũ repeto, moderate hiſce vtendũ eſſe; alioqui grauiſſime offendũt: vt hoc exẽplo perſpicuũ euadet. Muliercula quædã tympanite miſere afflicta, curã ſui medico familiari cõmendauerat: Hic flatuũ diſcuſſioni dumtaxat attẽtus ſine alterius medicamenti prægreſſu, electuariũ aliquod admodũ calidũ adminiſtrauerat. Illa paulo poſt ſentit rugitũ ſolito mul-

to maiorē, torſioneſq; moleſtiores, diffi-
cilius ſpirat, & ventris tumore priſtino
remanente, nouus accreſcit: qui a malo
punico vbi prior terminabatur ſe eleuās
totū pectus mirabiliter diſtēdebat. tu-
mores vero a ſeſe mediāte foſſula diſtin-
guebantur. ego ilico acceſitus vatici-
nor mortē præ forib. eſſe, ac ob id teme-
rariū eſſe de medicaminū vlteriori exhi-
bitione cōſiliū. nec fefellit opinio. tertio
enim ab eo quo vocatus erā die, obdor-
miuit in domino. porro recētis tumoris
cauſam fuiſſe iudico calefacientē & ex-
tenuantē medicamenti vim, quæ nebu-
loſum flatū extenuando arcto quo prius
ſtringebatur loco minime cōtentū, am-
pliorē capeſſere coegit. Ea autē eſt calo-
ris vis vt craſſa tenuādo efficiat liquida,
hęcq; deinceps in vaporē cōuertat. Quip
pe craſſa anguſto loco contenta, ſi ignis
ardore efferueſcant ampliorē locū ca-
peſſere cū in multis aliis, tū vel maxime
in lacte perſpicuū eſt: cuius quidē tanta
quantitas quę mediā lebetē necdū adim
pleat, ignis feruore extenuata vſque ad-
eo excreſcit intumeſcitq;, vt lebetis pa-
rietib. non amplius cōtenta effundatur.

Simile profecto quiddā in tympaniticis accidit, dū multū calfacientib. medicamentis exagitantur. Quocirca moderate calida quæ viſcera roborando natiuū calorem exuſcitant, tum intus tū extra adminiſtrata conducunt. Ventriculus itaq; ſequenti linimento inungatur.

℞ Ol. nard. ol. maſtich. an. ℥ iii
Ol. nuc. moſch. ol. macis an. ℥ i
Menth. ſicc. corall. rub.
Maſtich. Cumini an. ℈ i.

cū ceræ q. ſ. fiat vnguentū: vngatur regio ventriculi calide. Totus deinde venter linteis aut manib. calentib fricetur, donec excitur rubor, vt apertis meatib. flatus tenuati exhalent. quo facto, vel vino ſublimato, aut oleo rutaceo, aut vtroq; æqualib. partib. miſto, diutiſſime vngatur, aut ſequens emplaſtrum applicetur.

℞ Empl. de bacc. lauri ℔ ß.
Miſceatur cū ſtercore caprino aut bouino addēdo vini potentis quantū ſufficit ad malaxādū, fiatq; emplaſtrū quod ventri apponatur, quam fert calidiſſime regione hepatis declinata: aut eius loco conſuantur ſacculi ex abſinthio, mētha, ruta, Seminib. calidis, baccis lauri, florib.

pſeudonardi, Sãbuci, camemeli, roriſmarini & ſtechados, milio, furfure & ſale. Frigantur in frixorio cũ vini aſperſione, & calide ventri imponantur; ſubinde cũ refrigeſcunt, ollæ quæ candens ferrũ habeat, cuiq; vinũ infuſũ ſit, orificio imponantur, & recalfacti iterũ applicẽtur. De cucurbitulis non eſt quod hic quicquã adiiciã, celebres enim ſunt in flatuoſis affectib apud omnes: in hoc tamen affectu, meo quidẽ iudicio, nihil emolumenti adferunt. Clyſterũ etiã ventoſitatẽ carminãtiũ vſus prodeſſe interdũ ſolet. Verũ his omiſſis tanquã notis, hoc vnũ admoneo exercitiũ, ſi vires ferant, ſitim & ſudorem non huic dumtaxat hydropis ſpeciei, ſed & duabus aliis præcipua eſſe curationis capita.

De curatione Inflationis vteri. Cap. 25.

VTerinæ inflationes fœtum interdũ excutere & abortũ facere ſecundo aut tertio menſe aſſolent, & inteſtinis cõtenti flatus grauidas miſere diuexare, quod vteri pondus rectũ inteſtinũ comprimens his exitũ effluxũq; deneget. Ceterũ de vterina inflatione audi Hippocratem ſic loquentem: Si inflati fuerint *Lib. de nat. mulieb. &*

Lib.2. de morb. mulieb. vteri venter attollitur & inflatur, ac ſonitū edit, & pedes & cauæ faciei partes intumeſcunt, & color iniucūdus fit. Mēſes occultantur, & genitura hoc tempore non manet intus, & anhelat, & anxia mœret & cū expergiſcitur e ſomno, recta ceruice ſpiratio ipsā corripit, & quicquid ederit aut biberit ipſam moleſtat, & ſuſpirat, ac triſtatur magis, quā priuſquā edit: & ſuffocatur, & nerui contrahuntur, & vteri ac veſicæ dolent, & manus cōtractū non admittunt. Accurate ſane hac oratione, ſymptomata vterinā inflationē ſequentia deliniauit Hippocrates: quæ quidē omnia a trib. diſtēſione nimirū, cōpreſſione, & cū primariis partib. conſenſu tanquā a cauſis producūtur. Quū aūt ſic habuerit (inquit) pharmacum deorſum purgans bibēdū dato.

Signa vterinæ Inflationis. Curatio.

1. ℞ Syr. de Arthemiſ. ℥ iii Syr. de ſtechad. ℥ ii decoctionis Arthemiſ. matricariæ, pulegii, Sabinæ, bacc. iunip. Sem. aniſ. & dauci ℔ i. fiat apoſ. præparās aromatiſatū cū cōfectiōe e baccis lauri ℥ ii. finitis ſyrupis ſic purgetur,

2. ℞ Pil. Aggregat. ℈ ii
pil. Aurearum ℈ i
Trochiſc. alhand. gr. iiij.

miſc. & cū Syrupo de Arthemiſia fiāt pi

lulæ quinq;,ſumat media nocte. Si pilulas nō valeat inglutire,ſumat pharmacū liquidū cuius formulam ex præſcriptis haud difficile erit huc tranſſumere.porro ſi maior humorum copia ſit vt ſemel poſſit euacuari:repetitis vicib.id præſtabis.Poſtridie purgationis ſumat Theriacæ veteris aut Mithridati ʒ i.Hisperactis 3.
vngatur regio ventriculi & vteri vnguento quod capite præcedēti pro illius corroboratione deſcripſimus,aut foueatur vterus oleo rutaceo ſolo, aut linimento ſequenti. ℞ Ol.amigd.amar.

Ol.Rutacei

Vini ſublimati an:℥ i.

miſceantur exacte , totaq; ventris regio inūgatur. Sacculi inſuper quales capite præcedenti, cataplaſmata & emplaſtra ex ſem.apij fenicul.dauci,carui,cumini, baccis lauri, farina fabacea, ſtercore ouiū vel vaccarū, cū vino & oleis confecta conducunt. Non minus etiā electuaria,teſſellæ,orbiculi,ex calefacientib. & corroborantib.conſtructa,necnon vinū hippocraticū cum flatus diſcutientibus percolatū, aut vinum maluaticum cū olei iuniperini vel olei aniſi aliquot gut-

tulis miſtum, & id genus alia quæ vel ad nauſeam vſq; hactenus ſunt inculcata, cõueniunt. Peſſus etiam (ait Ægineta) qui e ficuũ pinguium cõtuſarum ʒ i. Cumini ʒ ii. Spumæ nitri ʒ i. concinnatur, tum primis accõmodatus eſt: ſed propter acrimoniam in lacte prius macerẽtur, vel oleum rutaceum cum decocto ſeminum calidorum vtero infundendũ, venterq; eſt conſtringendus faſciis. Cucurbitulæ etiam hic, vt in omnib. ex flatu affectibus maxime neceſſariæ ſunt.

De curatione herniæ ventoſæ. Cap. 26.

HErnia ventoſa, vt diximus cap. octauo, cum hydrope fit & citra hydropem. Si cũ hydrope accidat, curetur hydrops & hernia curabitur. Si ſine hydrope eueniat, duas habet intentiones curatiuas: alteram ad cauſam antecedentẽ quæ eſt humor phlegmaticus: alteram vero ad cauſam coniunctam quæ eſt ſpiritus flatuoſus in ſcroto vel in tunicis teſticulorũ conſiſtens. prior intentio perficitur iis medicamentis quæ ſuperfluum humorem euacuant & viſcera corroborant, quorum præſcripta cum ex omnibus ferme, tum vel maxime ex 17. & 18.

curationis capitibus haurire licebit: poſterior intentio abſoluitur medicamentis localibus, & cum primis fotu.

℞ Origan. Calaminth. puleg. añ M i
Sem. quat. calid. mai. } añ ʒ ii.
Sem. vitic. bacc. laur. }
Salis communis ℥ ii.

Coquantur in vini gallici ſufficiente quantitate, ad medias partes, foueatur pars bis de die. aut,

℞ Lixiuii barbitonſ. ℔ iiii.
Cumini, bacc. laur. añ ℥ ii.
Fol. lauri, Roriſmar. añ M i.
Salis communis ℥ iiii.

facta ſecundũ artem decoctione, foueatur pars ſpõgia noua, bis aut ter de die calide exiccata, vngatur ſequẽti linimẽto.

℞ Ol. de caſtor. } añ ʒ vi.
Ol. rutac. }
Ol. de Euphorb. }
Vng. Martiati ℥ ß.

Miſce, aut apponatur ſequẽs Emplaſtrũ.

℞ Farinæ fabaceæ ℔ ß.
Cumini, Sem. dauci an. ℥ ß
Bacc. lauri ʒ iii
Fl. Camemel. & lauand. an. p i.
Salis, pug. i ß.

Coquantur in ſ. q. vini albi ad conſiſtentiã cataplaſmatis & apponatur. aut hoc:

℞ Stercoris vacc. ℔ ii. Sulph. Cum. an. ℥ ii ß. miſc. & addito pauco melle fiat cataplaſma. Ego multos paruulos hoc malo laborātes curaui, ex multa & frequenti calefactione ad luculentum ignem facta: & cū ſiccis fomentationibus quæ fiunt cum panno laneo albo valde calente & ſæpius applicato.

De priapiſmo, ex Aetio tranſcriptum. Cap. 27.

PRiapiſmi curationem dicturo mihi vtiliſſimum viſum fuit, vt Aetii hic vſus opera nihil de proprio addam, ob id potiſſimum quod hactenus is affectus ſeſe curandum mihi non obtulerit, ac ob id nihil magnifice de noſtra experientia polliceri poſſim: tū etiam quod nullus meo quidē iudicio ſuccinctius accuratiuſq; Aetio huius affectus tū generationem tū curationem ex Galeni ſententia percurrerit. Priapiſmus (inquit) tē-
Priapiſmus.
tigo eſt membri pudendi & auctio in lōgum & ſpiſſum citra rei venereæ appetentiam ex caliditate quadam acquiſita, cum inflatione quadam dolore locorum conſiſtens. appellationem autem accepit priapiſmus, a Priapo videlicet Satyro: tale enim a natura haben-

tē pudendum homines fingunt & pingunt. fit autem affectio aut ob dilatata venarum ac arteriarum in pudendo ora, aut flatu vaporoſo iuxta antroſum neruum ipſum inquam pudendum, oborto. Mihi autem, inquit Gal. propter vtrunq; fieri videtur, ſæpius tamen ad dilatata venarum ora conſequi. Aliquando autē propter abſtinentiam a reb. venereis: quidā hac affectione apprehēdūtur, atq; hoc ipſum eis qui multo ſemine abundāt, ſimulq; præter conſuetudinem ſe abſtinent. euenit, quum non perfrequens & multum exercitium ſanguinis abundantiam diſcuſſerint: maxime vero hoc illis contingit qui rebus quidem venereis opus habent, in imaginationem autem ipſarum perueniunt per viſiones quæ ipſos in rerum venerearum recordationem impellere poſſunt. Ceterum dolores eis contingunt quales tetanici habent, & hi qui reliquis membris diſtenduntur: inflatum enim & diſtentū pudendum conuulſionis modo afficitur, & ex præcipiti hoc modo affecti pereūt, niſi confeſtim eis auxilium feratur: quum vero moriuntur, ventre inflan- Cauſſa.

tur, & frigidum exudant, id quod & eis euenit, qui aliis conuulſionis modis perimuntur. propter dolores igitur, & inflãmationes venam ſecare ſtatim a principio conuenit ab affectione præhenſos, & in inedia adſeruare vſq; ad dies tres, irrigareq; pectinem & coxendices vna cum pudendo ex lanis ſuccidis vino & oleo imbutis: ſiti item præmere, & aluum obturatum euacuare non acri nimium clyſteri, ne inflammationes exacerbentur. Cibum autem exhibere frumentaceum paucum, atque omnino nihil inflantem, & in aquæ potu continere. Quod ſi diutius duret affectio, etiam cucurbitæ cum ſcarrificatione affigendæ ſunt: & ſi amplius ſanguinis multitudo adiacere videatur, hirudines adhibẽdæ in ipſum locum: cataplaſmata vero imponenda ſunt ex cruda hordeacea farina. Optimũ etiam fuerit aluum ſubmollire per betæ & maluæ decoctũ pauco mercurialis ſucco admixto. Concharum item decoctum in potu exhibẽdũ, ab efficacioribus autem purgantibus pharmacis in totum abſtinendum. Cauendá etiam quæ vrinæ ciendæ facul-

Curatio.

tatem habent. Vtendum autem cibis frumētacei generis, qui leniter attenuare valent citra manifeſtā calefactionē. Lumbis vero quæ euidenter refrigerant imponenda, velut eſt ſolanū, portulaca, hyoſciamus & ſemperuiuū. Neceſſario etiam coles & intercapedo inter anum & pudendū ex aliquo leniter refrigerante illinitur, velut eſt argenti ſpuma, cimolia, & ceruſa, ſi aceto, aut poſca, aut aqua ſint dilata. Optime autem facit in ipſis ceratum ex roſacco optimo apparatum, & frigida aqua ſæpe elutum, ſi tū pudendis tum lumbis imponatur. Porro in latus decumbere ipſos ex re eſt: & ſubſternere ea quæ ad ſeminis profluuiū ſunt accommoda. A ſpectaculis vero & narrationib. ac commemoratione eorum, quæ ad venerem excitare queant, penitus ſunt arcendi.

De inflatione ſeu Apoſtemate ventoſo. Cap. 28.

INflationes naſcūtur a flatuoſo ſpiritu alias ſub cute, alias ſub membranis, quæ oſſa veſtiunt, aut muſculos includunt: alias in carnoſis partibus collecto. Colligitur autem (vt Ægineta ait) vel propter membrorum denſitatem, vel

Spiritus craſſitiem. Spiritus craſſus locum quo retinetur ſua copia diſtendendo, tumorem efficit, nō laxum quidem, aut digitorum compreſſioni cedentem, vel foſſulam dum premitur vt œdema relinquentem, ſed renitentem tactui. Harum inflationum communis ſcopus eſt, vt quod pręter naturam eſt, vacuetur in quocunque id contineatur. Vacuari autem non poteſt, niſi ex propria indicatione quod denſum eſt relaxetur, & flatuum craſſities extenuetur. Vtrumque iiſdem præſidiis, nempe tenuiſſimis & poteſtate calidis, perficitur. Atqui quod ventriculus reliquaque viſcera a diſtendente flatu afflicta, oleo quod tenuium partium ſit, aut rutam ſeminaue calida incoctū habuerit curentur, abunde ſatis in præcedentibus declaratum exiſtimo. Reliquum eſt vt de inflatione quæ in artubus & muſculis, aut membranis perioſtijs oritur, dicamus. Hæc fit interdum cum dolore, interdum etiā omnino ſine dolore, idque ex ſimplici cauſa, nempe imbecillo calore, aut a contuſione. Inflationi quæ citra dolorem ſit, lixiuium (ex ſententia Galeni) noua ſpongia ex-

ceptum, abunde fuerit. eſto autem tale:

℞ Aquæ pluuiæ, aut potius vini q.ſ. infundatur per horas 24. in cineres ficus vel iuniperi, fiatque lixiuium. Vel ſic.

℞ Bacc. laur. rad. Irid. an. ℥ i
Fol. laur. Roriſm. nepet. an. M i.
El. lauand. p i. Cumini ʒ vi.

Coquantur in aqua ſuff. ad medias partes. In huius decocti ℔ iiii. infundantur cinerum ficulneorum, fabarum aut braſſicæ ℔ i. fiat lixiuium: excipiatur noua ſpongia, & tumor foueatur calide. vehementer enim abſtergit, exiccat, abſumit, & flatulentum tumorem diſcutit. Si autem dolor vrgeat, non quidem lixiuio fouēda pars eſt (ſua enim acrimonia dolorem magis irritaret) ſed oleo quod relaxandi remittendiq; vim habeat, quale eſt Anethinum, rutaceum, aut camæmelinum inungenda. Incidunt ex percuſſionibus eiuſmodi affectus, vbi ſcilicet vel muſculus, vel membrana quæ os circuit eſt contuſa. Ac ſuper membranam quidem, quæ os ambit antedicta imponenda eſt ſpongia. Ad muſculos vero (nanq; hi aliquando dolent) medicamentum quod magis mitiget eſt adhibendum. *Gal. 14. meth.*

Quo fit vt ad hos ſolo lixiuio non vtamur,ſed immiſſa ei tum ſapa,tū pauculo oleo. Satius autem fuerit in principio non addidiſſe lixiuium,ſed ſapa cum vino & aceti pauxillo,mediocriq; olei portione omnibus vna modice caifactis,atque lana ſuccida exceptis,locum foueri. Quocirca ſi dolor vehemens vrgeat:mitigatiua magis vteris medendi ratione: Sin vero ille abſit, maiore vi cōtra inflationem inſtabis per valentiora medicamenta,cuiusmodi ſunt lixiuium,acetū, & poſt hæc vinum. Quoties ergo de mitigando non laboras:lixiuij & aceti plus in miſturam coniicies. Quę vero huius generis inflationes neglectæ inueterarunt, primo quidem loco his ea quæ ex lixiuio componuntur adhibeas. Secūdo loco emplaſtrū aliquod, quale illud eſt quod de ſtrigmentis gymnaſiorum cōponitur. Atqui cum eius vſus hoc noſtro æuo inoleuerit,emplaſtrū de baccis lauri ſubſtituemus,aut hoc quod ſequitur.

℞ Empl. de melilot. } an. ℥ iii
Emp. de bacc. laur. }
Nitri, Cumini
Sulph. Calcis viuæ

Salis

Salis an. ℈ i
Ol. laurini & cerę q. ſ. fiat Emplaſtrum.

Ceterũ ſi huiusmodi flatuoſus ſpiritus qui inflationem committit fumoſus fuerit, malus, corruptus & a materia venenata excitatus, cum dolore intolerabili, & vehementi calore per membra diſcurrens, nullum tutius ac melius conſilium dari poteſt quam quod vbi in parte quapiam ſubſtiterit, pars ipſa protinus infra ſupraq; deligetur, ac in medio nouacula vel ferro candente tumor aperiatur, ita vt facile vapor ille venenoſus egredi poſſit. Deinde hiãs plaga implẽda erit aloe & bolo armeno, ex roſaceo & aceto diſſolutis. Tranſactis vero dieb. tribus aut quatuor, vulnus carne opplendum erit, & ad cicatricem perducendum. Porro in venenoſis eiusmodi inflationibus, victus ratio tenuior eſſe debet, egetq; corpus medicamento purgatorio. quod ſi Theriaca ſumenda daretur laborãti, recto illi conſultum eſſet. *Tagault. lib. 1. cap. 11.*

HActenus cãdide lector pro meo virili flatuum naturã, effectus, morboſq; ex iis procreatos & eorum curationes in medium attuli. quod quidem

non alio conſilio factum exiſtimabis, quam vt rudiores in horum cognitionem introducerē, afflictis optime conſulerem, & doctis ingenioſisque viris anſam quo in hac materia diligentius incumbant, præberem, quapropter has lucubrationes noſtras æqui bonique cōſulas oro, quandoquidē vt prodeſſem, non vt animos irritarem hunc ſumpſi laborem. Has primitias ſi tibi eſſe acceptas cognouero, præclariora in poſterum expectato.

FINIS.

Index capitum præſentis operis.

QVod Flatus ſpiritus ſit, & de diuiſione ſpirituum, Cap.1.fol. 1
De Analogia ſeu proportione flatus cum vento. Cap.2.f. 5
Quid flatus ſit. Cap.3.f. 13
De loco generationis flatuum. Cap.4.f. 15
De ratione generationis flatuum. Cap.5.f. 20
De flatuum differentiis. Cap.6.f. 24
Quot morbi genera flatus producant. Cap.7.f. 28
De cauſis flatuum. Cap.8.f. 32
De ſignis flatuum. Cap.9.f. 48
De ſymptomatibus a flatuoſo ſpiritu productis. Cap 10.f. 53
De prognoſticis flatuum. Cap.11.f. 80

De victus ratione in flatibus obſeruanda. Cap.12.f. 90

De communi flatuoſorum affectuum curatione. Cap.13.f. 101

De curatione doloris capitis. Cap.14.f. 103

De curatione ſonitus aurium a flatuoſo ſpiritu. Cap.15.f. 113

De curatione doloris dentium, a flatuoſo ſpiritu contracti. Cap.16. 117

De curatione ventoſæ pleuritidis. Cap.17.f. 121

De curatione palpitationis ventoſæ. Cap.18.f. 127

De curatione inflationis ventriculi. Cap.19.f. 138

De melancholiæ flatuoſæ curatione. Cap.20.f. 146

De colici doloris curatione. Cap.21. 154

De flatuoſæ obſtructionis hepatis curatione Cap. 22.f. 167

De curatione flatuoſæ obſtructionis Lienis. Cap. 23.f. 172

De curatione Tympanites. Cap.24.f. 174

De curatione inflationis Vteri. Cap.25. 181

De curatione herniæ ventoſæ. Cap.26.fol. 184

De priapiſmo, ex Aetio tranſcriptum. Cap.2. 186

De Inflatione ſeu Apoſtemate ventoſo. Cap 28 fol. 189

IOHAN. POSTHIVS, AVLÆ PALAT. EL. ARCHIATER, candido Lectori S.

RES lenis eſt flatus: ſed enim firmiſſima quæque
Concutit, & terris & dominatur aquis:
Horrenda ignivomo reboare tonitrua cœlo
Audiſti, & trepidis fulmina miſſa polis?
Iratum vaſtis agitari fluctibus æquor
Vidiſti, & merſas per freta ſæua rates?
Annoſasque ima quercus tellure reuulſas,
Et validas turres, & cecidiſſe domos?
Tum ſonitu ingenti torqueri immania ſaxi
Pondera per longos ignibus acta tubos?
Senſiſti & quondam tremere intima viſcera terræ
Credulus extremum iam fore iamque diem?
Scilicet efficiunt violenti hæc omnia flatus:
Qui ſimili affligant corpora noſtra modo.
Si quando incluſi per ſumma, per ima vagantur,
Et miſeris vexant viſcera torminibus.
Illorum cauſas medica bonus arte FIENVS
Explicat, & pelli qua ratione queant.
Ergo ſibi laudem peperit famamque perennem,
Vtile qui nobis hoc dedit Auctor opus.
Quod præſens gratis animis amplectitur ætas,
Aſſidua ac voluent poſtera ſæcla manu.